

ADNOTATIONES HISTORICÆ

De

ORIGINE, ANTIQVITATE, EXCELLENTIA, HEROICI AC CELEBERRIMI *IN REGNO POLONIÆ ORDINIS* EQUITUM AQUILÆ ALBÆ.

Per

Sacram Regiam Majestatem Orthodoxam

AUGUSTUM II.

è diversis revolutionibus

VINDICATI

nec non

CIRCA INITIA PRÆSENTIS SÆCULI

ad amplissimū præcipui Honoris splendorem intra & extra Regnum

SUBLIMATI

AUTHORE

JOANNE FRIDERICO S. R. I. Comite in Kodeń SAPIEHA Castellano Trocensi, Præfecto cum Jurisdictione Palatinatûs Brestiensis, Mareschalco Supremi Tribunalis Magni Ducatûs Litvaniæ, ejusdem Ordinis Equite.

accessit COROLLARIUM celebriores in Christianitate Ordines *nunc vel olim florentes succinctè enumerans.*

COLONIÆ apud Adamum Cholinum. 1730.

In Heroicum Monile
AQUILÆ ALBÆ

REgnatrix *Volucrum, Decus*
immortale Poloni
Nominis , & Generis ! ſupe-
ras candore liguſtra,
Vincis ebur nitidum , puriq; liquami-
na lactis,
Canitie nivêa præſtantes vincis olo-
res,
Imò nives ipſas pennarum albedine
vincis !
Dum tamen Heròum , pro nido pe-
ctus adornas.
Candidior non es DONANTIS Corde
Monarchæ ,
Nec te GESTANTIS ſinceri pe-
ctore Lechi.



SERENISSIMO

AC

POTENTISSIMO

PRINCIPI

AUGUSTO II.

DEI GRATIA

POLONIARUM

REGI

ORTHODOXO &c:

DUCI & ELECTORI SAXONIÆ &c.

JOANNES FRIDERICUS COMES SAPIEHA
Castellanus Trocensis, Longævum & Faustum
Regimen

P. P.

SERENISSIME & POTENTISSIME
REX, DOMINE CLEMENTISSIME.

P*Er climactericas aliquot Sæculorum revolutiones, vix non testudineo passu, reptare visa*, en ad præceptum Tuum elevatur Aquila:

REGUM POTENTISSIME. Alibi quidem illa in arduis ponit NIDUM, *in petris manet, in præruptis ſilicibus, atque inacceſſis rupibus* commoratur; *nullibi tamen excelſiùs, quàm in Tuo, Tuorumque Civium PECTORE nidificat. Regale nimirùm pectus, Libani cacumina, imò Cedrorum Libanitidûm tranſcendit faſtigia: ſive molem grandeſcentium curarum; ſive Magnanimitatis immenſæ metiamur ſublimitatem. Quantùm Sol Regnator Planetarum; tantùm diſtat à terrarum convallibus AUGUSTI* Regia Pectoris; *quia cordiali Sole illuſtratur.* Corda Principum Soles Regnorum ſunt, intra pectoralem recluſi Zodiacum. *Ibi arridentes fortunæ Subditorum anni, propitij menſes, ſereni dies, tranquillæ noctes, aureæ horæ cuduntur ab* Auroræ Soliſque Fabricatore. *Si* Cor REGIS in manu DEI eſt, *utique non ſine concomitante pectore? Eandem utrumque ſequitur* Motricem Intelligentiam, *& ideo utrique eminentiorem communi Sole elevationis gradum aſſignamus. Altiùs nè igitur attolli poterat SARMATICÆ NIDUS AQUILÆ? cúm Tuo REX SERENISSIME admotus Pectori, ad Aſtrorum invidiam, ſupra viſibilem Solem conſtitiſſet. Inde* Regnatrix alitum *vicinos conregnantis Phæbi, irretortâ pupillâ haurit radios: nè plùs quàm duodenis annoſior ſæculis, degenerem aliunde indolem hauſiſſe cenſeatur. Ibi* Nutrix olim atque collactanea Lechiadarum habet Regem Nutritium, ac mamilla Regis lactatur, *ut* renovatam *identidem demonſtret Juventutem. Ibi viciſſim lacteo pennarum candori ina-*

natat; *nè AUGUSTO nostro etiam* lac avium *desit in Polonia*. *Quanquam absit vel primis calami labris lactescentes delibare delicias! quandoquidem in* Regali Pectore *nidificantem Aquilam oculis delibamus. Odit videlicet hic Pectoralis Nidus soporifica blandimenta imbellis ignaviæ: chalybeis ramentis, non gossipinis stramentis; inspergitur. Exduratis Martiali labore Palmarum frondibus contextus, imò de SAXONICO silice excisus formidandas Hostibus jaculatur scintillas; COR Clementissimi AUGUSTI, non ausim dicere* lapideum*! Utpotè tenerrimis mellitum emollitumque charitibus, dicam tamen audacter* Adamantinum: *quia nullo valore taxabile, nullo robore superabile. Cordialem Regifici Pectoris Solem favorabiles equidem circumambiunt radij, sed & Gradi-*

divi tela & decussatim dispositi ENSES *irradiant! quatenus POLONICA VOLUCRIS extra COR ac PECTUS REGIUM, nullibi quærat* præruptas Silices aut inaccessas Rupes *ad nidificandum. Quantam ei quàmq́ quieto sopori simillimam securitatem providerint* vigilantissimi Cordis *Tui CORONATE EXCUBITOR! insomnes curæ? fateatur ipsa candidè (nisi in monstrosam ingratitudinis noctuam converti malit) AQUILA Sarmatarum. Plangere tunc solùm didicit, clangere planè dedidicit; quando ferocientibus* Gothici Leonis *ungvibus in collisiones* Anno 1705. *intestinas attracta, in diversas partialitates distracta,* Grandium Alarum *subsidio spoliata, post ereptam* Cedri medullam, *post ruptos* Belli Nervos, *post contrita Avitæ* Fortitudinis *ossa, jam pænè ener-*

enervis, atque implumis tabeſcebat. Quis palabundam? quis langveſcentem AVEM velut errabundam, immò perditam Ovem, *non modò Purpuratis* impoſuit humeris; *ſed etiam intimo* appreſſit Pectori? *nonne Tu PRINCEPS OPTIME! nunquam immemor Obligatorÿ characteris*: Pro Fide Grege & Lege? *Quamprimùm in hoc* Amoris-Fortalitio *nidificare cæpit, quamprimùm* redijt ad COR *ſui CAPITIS, mox illa quondam* Altilium Domina; *tandem* Columba ſeducta non habens Cor, *reſpiravit, revixit, triumphabundis alis plauſum dedit. Tum demùm Aquilinâ ſpecie reaſſumptâ, reſtituto nativo corde*, provocans Pullos ad volandum, *ita duntaxat* ſuper eos volitabat; *ut ad* Pectoralem *PATRIS PATRIÆ* Nidum *revolans, omnes ad idem ſecuritatis aſylum*

lum congregaret. Nec mirùm illuc tam properè congregatas fuiſſe Domeſticas Aquilas; *ubi in uno REGNI CAPITE totius Reipublicæ* Corpus *erat, ſiquidem capaciſſimum AUGUSTI Pectus extraneis quoque Hoſpitibus baſilicam ibidem conceſſit manſionem. Hæc Ædes* Concordiæ *Quirinali longè auguſtior, deſiderabilem univerſo Orbi complectitur* Sodalitatem Sinceritatis, *arctiſſimum vitæ ſocialis vinculum, firmiſſimum amicitiarum retinaculum, ingenioſum SAXONICÆ atque Brandeburgicæ Domûs inventum. Huic inexpugnabili affectuum propugnaculo, Præſidiarium* Elephantis cætum *incluſit* DANIA, *ut eburneis vallatum turribus, ipſo autem ebore candidiùs* omni cuſtodia ſervet *Cor Principis*, ex quo vita noſtra procedit. *In hac planitie Pectoris* fæderatam Velleris-

Ordine à Sereniſſimo Rege ſuſcepti.

b au-

aurei aciem *locavit* HISPANIÆ, *quia nullum inter ſuos Argonautas Jaſonem, tam pretioſo ſervando Depoſito reperit aptiorem: cujus* Præcordia *quantum libet* Tyriæ Lanæ *muricibus tractabiliora, rabidus livor* arietare *non audet. Erexit in eorundem* Præcordiorum Sanctuario *Aram, ANDREÆ Septemtrionalium Populorum Apoſtolo RUSSIA. Nulli enim commodiùs* Votivas *Pactorum initorum* Tabellas *appendere, nullibi competentiùs, quàm ad iſtam* Aram *ſancire poterat colligationem adunatarum Potentiarum, pro aris & focis militaturarum. Ita* unius Pectoris *immetatâ peripheriâ* Heroicorum Inſignium *comprehendiſti quinarium, ut adhuc locus pateat millenario. Diſperſiſti cum Sole innutritam Soli ALITEM, nec tamen in partes diviſiſti, ſalvâ minimarum plumarum integritate. Quam blandè ſoveat traditam à Te ſibi SARMATICAM VOLUCREM AUGUSTI Spes magna, quin imò* Merces *jam maxima PATRIS*, Princeps Regius *FRIDERICUS AUGUSTUS? vel inde ſatis liquet; quòd ei* Vellus aureum *ſuppoſuerit, ut in Porphiretico pectore molliùs quieſceret. Viderat avida aliorum aucupia Victorioſus Monarcha Roxolanorum* Petrus-ſecundus, *& mox albam Aquilam, nigreſcenti ſociavit, ut oppoſita propiùs poſita venuſtiùs eluceſcerent. Spectaverant eadem aucupia cognati conterminique Principes.* Fridericus Electoralis Brandeburgicus Hæres, *tum* Veiſemfeldij Sprembergenſes, Barbienſes-Virtembergenſes, Haſſenſes, Anhaltini, *alijque celeberrimi Duces: & pul-*

cher-

cherrimâ æmulatione ſuccenſi ad ſuorum Pectorum Nidos Lechicam invitavêre AQUILAM, inter Heroici fervoris incendia, more Phœnicis perennaturam. Quid memorem tantos candidæ Alitis Portitores? Sub Tuo REX Inviċtiſſime Supremo Magiſterio ad portandum Orbem terrarum eruditos Atlantes. Tergeminos ſupra viginti extra Sarmatiæ limites Aquiliferos, obſequioſâ Tibi pennâ licuit aſſequi, cùm iſtius lucubrationis curſum conſummarem. Ex eorum ſerie reliqui quotquot ſumus, intra Tui Imperij fines rapimur in áëra, ut Te velociorem Aquilis, ſuper Aſtra inaſſequibilis Gloriæ Nidum locantem, haud paſſibus æquis comitemur. Habes plurimos, in quorum ſinu, ad normam DIVORUM PRÆDECESSORUM ſecurè queas quieſcere; ſinguli ſubjecto-

rum

rum Civium tale CORONATO CAPITI Cervical offerunt, alacriùs verùmtamen illi, quos intenta in omnes conteſtandæ gratitudinis occaſiones vigilantia dormitare non ſinit. Unica omninò Trias SAPIEHANÆ Tribûs Aquiliferorum gremio aggregata, nunquam ſcgnis erit ad Tuæ Majeſtatis obſequia. Ego autem à teneris Tuorum, Regum Clementiſſime favorum Alumnus, dum in rudi folio Hiſtoricas de Origine, Antiquitate, & Excellentia Heroici Ordinis Aquilini Tibi dedico Adnotationes; ex animo voveo, quatenùs multiplicatis annoſiſſimi ævi diebus, non ſolùm, quot EQUESTRIUM ORDINUM in præſenti volumine ſpecificandorum, ſed etiam tot ſis REX annorum, quot Subditorum. Dij Patrij ſervate Domum, ſervate Nepotes. die 1. Februarij Anno Domini 1730.

Diſcurſus Prælimínaris de Equitibus.

PRiuſquam recentiorem Equeſtris Dignitatis Eminentiam ordiar enucleare; haud modicum operæ pretium ſpero, ſi vetuſtiorem ejuſdem Excellentiam, Lectorum aſpectui, tanquam Iliadem nuci incluſam propoſuero. Quemadmodum enim induſtrij Patrisfamilias meretur en-

encomiũ, quib9 de theſauro ſuo profert nova & vetera, ita peregrin9 in propria domo cenſetur, qui ſolas exhibet novitates, conſervandæ ſuppellectilis, per tot rètroacta ſæcula collectæ, omninò incurius. Vix igitur imò nec dum Orbis adoraverat Romam, jam inter Hebræos atq; Græcos, prærogativa Equitum ſpecialibus honorabatur adoreis. Crediderim potiùs poſt primã aurei ævi innocentiam, tranquillitatemq; frigidis illis verbis: *meum & tuum*, penitùs gelatam, ſimul cum ætate ferrea, avaræ cupiditatis incendia, ambitionis æſtus, bellorum ignivomos torrentes mundum ſublunarem inundaſſe. Hunc rurſus neceſſarij bellis gerendis exercitus, Exercitibus Duces, Ducibus milites, militibus competentia arma, geſtandis armis apti Sonipedes, Elephanti, Ca-

Cameli, iſtis verò regendis idonei Seſſores enataverunt. *Tunc erat omnis Eques nonniſi Seſſor equi.* Quod attinet Græcorum Monarchiam, legimus antiquiſſimum ibidem morem, præter Pallia Macedonum Bellatoribus antea conferri ſolita, præter armorum Inſignia, Vexilla, Torques, ampla Privilegia, talari etiam Togâ (quam Græci *Stolam* vocant) Victores Patrios veſtiendi. Certum eſt nihilominus Græcos non primos ejuſmodi præmiorum inventores fuiſſe, ſiquidem longè priùs apud Aſſyrios, apud Medos, Perſas, Chaldæos, & Hebræos ut infra patebit viguerunt. Sic jure quodam Gentium acceptata conſvetudo, ad Romanã tandem tranſijt Rempublicam. An enim aliquid Orbis didicit, aut ſcivit, quòd Roma ignoraverit? inter ipſa ſtatim aſſur-

aſſurgentis tantæ machinæ principia Romulus Urbis Conditor, ſexcentos de populo Viros pro ſui Corporis cuſtodia ſelegit, ſpecioſoque Equitum titulo decoravit, in meliorem deinde Ordinem coaleſcente formâ Regiminis; Filij Patrum conſcriptorum, ſive Senatorum, ad Equeſtrem dignitatem evecti, appellabantur *Celeres*, ut inter Senatum ac plebem tenendo æquilibrium, haud ſegniter bonum publicum promoverent. Aggregabantur Equeſtri Ordini à *Cenſoribus* vel Stationum *Præfectis*, non ſine multiplici cerimoniarum varietate. Nam præter annulum, inter ſolennia inaugurationis ſibi traditum, idque ſemper geſtandum, tum Magnificos Illuſtrium & Splendidorum titulos, habebant jus utendi Purpurâ auro intertextâ, ſimil-

limá talari Togæ Senatoriæ, cum ſtri- ctioribus tamen manicis elaborata, quæ vocabatur: *Anguſtus clavus*, ad diſtin- ctionem à Procerum *Laticlavijs*. Pau- lò poſt Equites Romani æquiparari cæperant Quiritum Eminentiæ. Cùm etenim *Junius Brutus* Rempublicam à tyrannide *Tarquinij* ſuperbi vindi- câſſet, perpetuumquè Regibus indi- xiſſet exilium, mox trecentis adlectis Equitibus, eorundem ope decus ad gloriam Patriæ reſtituit, vacantesquè poſt fata Senatorum Curules imple- vit. Iterum ſub *Cajo Graccho* Eque- ſtris Ordo Senatui permixtus fuit: Si- quidem inter alios, Frater Tiberij, & *Livius Druſus* plenariam obtinuerunt licentiam aſſiſtendi graviſſimis Curiæ deliberationibus, ſeu Senatûs Conſilijs, dandi ſuffragium voce liberâ, áudien- di

di cauſarum controverſias, tractandi negotia majoris momenti, id eſt ad rationem Statûs pertinentia. In Ludis quibuſvis ſolennibus, aut ſpectaculis Publicis. Equites honoratiora Am- phiteatri loca occupabant, nempe juxta Legem *Roſciam* ſuper gradum *Oſcali- num* ſedebant, aureorum annulorum geſtamine à populo diſcreti. Ijdem ferè ſoli, gladio ſubactis præerant Pro- vincijs, ſpecialiter autem continuum Ægypti regimen habuêre. Succeſſu temporis totum Reipublicæ corpus ex tribus membris principalibus compo- nebatur atteſtante Pòëta: *Martia Ro- ma triplex Equitatu, Plebe, Senatu*. Cui etiam alter accinit de libro ſuo lo- quens: *Ille dabit Populo, Patribusq́ Equitique, legendum &c*: Creſcebat Equeſtris Dignitatis æſtimatio, cùm ex illa

Auſonius Edil. 11.

Martialis l. 3. Epig. 3.

illa citra ullam gradationem, ad ſummos faſces, quaſi per ſaltum fieret aſcenſus. Taliter ille magnus Libertatis Propugnator *Pompeius*, Equitatum in ſupremum Conſulatum commutavit. Tiberius cuidam Equiti commiſit Præfecturam ſuper quinque millia aliorum Equitum, qui dicebantur: *Augurtani* vel *Auguriales*, claudebantq; intra ſuos contubernales, Filiū illi, Druſum cum Nepotibus Tito Claudio & Germanico. Titus deinde admot, Imperio, nemini Prætorialem, aut Cuſtodiæ corporis prærogativâ conferebat, niſi eſſet de numero Equitum. Quanto interea delectu quærerentur ejus Ordinis Candidati? quantis gauderent Privilegijs? audire libeat *Alexandrum ab Alexandro* dicentem: *Cautum! nefas eſſe Cives Novitios inter Equites*

nu-

numerari, niſi Novitiatûs ſui tempus explevissent. En veteranæ dexteritatis, eſſentiale requiſitum! *Cautum!* præterea, *ne huic Ordini adſciſceretur, neve jus annulorum aureorum daretur, niſi ipſe ingenuus, Pater & Avus ingenui forent.* Unde Severus Imperator, ſeveriſſimo edicto prohibuit, ne ad Equitis dignitatem manumiſſus ullus admitteretur. En liberam nec vulgarem naſcendi ſortem! *Denique cautum perpetuo Senatûs conſulto, ne cui Pater, Avus, aut Maritus Eques Romanus fuiſſet, indignis artibus ſe pollueret.* En derivatam ad Poſteros gloriam, ac nonniſi Liberalium Artium praxim. In tanto nihilominus qualificatorum Virorum delectu, quàm grandis fuerit multitudo? vel inde colligi poteſt, quòd Juratus Romanorum hoſtis *Annibal*, memorabili clade ad

c3 *Can-*

Cannas, deletis Adverſarijs, in ſignum certæ victoriæ, plurimos Equeſtrium annulorum modios miſerit Carthaginem. Anteſignanus Hiſtoricorum æquè ac Politicorum *Tacitus*, varias Equeſtris militiæ diviſiones recenſet, nimirùm *Ramnenſes*, *Tacienſes Cornicularios*, *Commeatiles*. Accedebant his *Trecenſes*, quibus annuli & Torques aurei conferebantur. *Monozonij* ſeu *Unicingulares*, quibus unica Zona militaris debebatur. Floruitque talis remunerationis modus, ante Monarchiam Romanorum, apud Trojanos eorum Protoparentes, cujus meminit *Homerus de Achille & Hectore*, necnon de *Patroclo*: *Virgilius Maro* de *Ænea*, ac *Turno &c.* Facile qui voluerit reperiet apud *Tacitum* antiquiſſimam conſvetudinem tribuendi gladios Bellatoribus poſt pugnam Victorioſam: *Arma ſumere (inquit ille) non ante cuiquam fuerat moris, quàm Civitas Suffecturum probaverit. Tum in ipſo concilio, vel Principum aliquis, vel Propinquus, ſcuto, frameâq; juvenem ornant. Hæc apud illos Toga, hic primus juventæ honos: Ante hoc, Domûs pars videntur, mox Reipublicæ &c*: Cingulorum autem, auro gemmisq; rutilantium non eſt oblitus *Claudianus* in ſecunda Panegyri Styliconis, inter cætera donaria maſculæ virtutis præmiativa, videlicet *equos*, *phaleras*, *enſes*, *thoraces*, *veſtimenta*, ad longam poſteritatis memoriam conſervanda. Utiliſſimus omni ævo fuit annulus aureus, atque Torques Teſte *Dione & Cicerone* in *Vertinis*. Verùm non omnibus Torquibus, eadem paritas reſponde-

debat, quandoquidem Majorum ac Minorum meminêre, marmorea veterum monumenta inferiùs alleganda. Circa Torquium formam, illud notandum occurrit, quòd passim ab eisdem dependebat Effigies Principis donantis, qua ornati *Equites Baltheati* nuncupantur. Quid mirum igitur, statim à primis Christiani Orbis incunabulis, deposito inanium Deastrorum onere, Imperatores, Reges, Principes, tum ipsos, ad institutos per se Equestres Ordines turmatim convolâsse, tum alia præstantioris extractionis, & meritorum subjecta, ad eosdem aggregâsse. Primum locum tenet ille Ordo, quem Primas Monarcharum Sacro latice ablutorum condidit *Constantinus Magnus*, postquam edomita Maxentij Tyrannide, ac Rebellione triumpha-

bun-

bundus Româ redijt, atque Crucem, victoriæ suæ prænuntiam, pro Insigni dedit Equitibus. Revoluta deinde multoties annorum & Imperatorum series, mox eam Equestrium Dignitatum reddidit feracissimam. Ita enim in Austriacis Annalibus à *Lasio* conscriptis legitur. *Anno millesimo centesimo quarto, Leopoldus Marchio Sanctus, accinctus est gladio.* Anno millesimo centesimo octogesimo. *Otocher* ex Marchione Styriensi, Ducis nomen adeptus est, eo Anno, *quo & gladio accinctus.* Anno millesimo ducentesimo vigesimo quinto, Fridericus Dux Austriæ & Styriæ, *consecrati ensis dignitate Viennæ sublimatur. Anno millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, (nempe Imperij sui primo) Fridericus Dux Austriæ auro plenus*

d &

& argento, in Festo S. Gregorij 140 *Juvenes de Terra sua Nobiles, apud Viennam honorifico donavit gladio, & cingulo Militari.* Dignum præterea observatione videtur illud, quòd Regum Filij ad aliquam Aulam externam, passim à Parentibus mittebantur, ut ibidem Equites crearentur. Refert *Paulus Diaconus*, antiquum Longobardorum morem his verbis: *Apud Longobardos consvetudo est, ut Regis Filius cum Patre non prandeat, nisi priùs à Rege Gentis exteræ arma suscipiat.* Sic *Henricus* secundus Eques creatus fuit à *Davide* Scotiæ Rege, qui vicissim ad priorem misit Filium suum *Malkomum*, ut similem honorem reciperet. *Petrus* Arragoniæ Rex ab *Innocentio III.* Papa Cingulum Equestrem accepit. *Alexander* Gvilhelmi Scotiæ Regis Filius, ab *Henrico II.* Rege Angliæ, *Eduardus I.* ab *Alphonso XI.* Castiliæ Rege. *Ferdinandus* Joannis I. Arragoniæ Regis Filius à Duce Candiæ, *Joannes I.* Brabantiæ Dux, à Rege Franciæ, & sic de cæteris, quos longum esset numerare. Armatura tunc illis conferri solita, habebat appellationem: *Armorum Militarium* vel *armorum Virilium*, quasi per talem inaugurationem, à minorenni pueritia, ad virilem maturitatem subitò pervenissent. Justam interim admirationem excitare potest, extraordinaria praxis, vi cujus eminentis quidem conditionis Magnates, verùmtamen subditi, Principibus proprijs, Heroicorum Ordinum investituram contulerunt: quemadmodum *Franciscus I.* Rex Galliarum à *Petro* Terrailly Domino de Bayard, *Henricus*

cus II. à Mareſchalcò du Buies, *Ludovicus* à Philippo Bono Duce Burgundiæ, *Edvardus IV.* à Duce de Devonſchire. *Henricus VII.* à Duce de Arondel. *Edvardus VI.* à Duce de Sommerſeth, ordinari voluerunt. Tanta videlicet Equeſtris ſignaturæ extitit æſtimatio, ut à Coronatis Capitibus, pulchro ambitu, etiam ex inferiore manu deſcendens avidè captaretur. Jam verò eandem prærogativam Subditis impertiendi, vel pro beneplacito Inſignia partim permutandi, partim augendi, frequentiſſima erat Regum occupatio. *Carolus* Magnus ad gladium, & cingulum adjecit *Maniculas*. Addita ſunt deinceps Calcaria aurea, circa quorũ collationem memorabilis relatio invenitur apud *Mezerium*; nempe S. Ludovicum Regem Franciæ, ejuſmo-

di

di Equitum albo inſeruiſſe Nepotes ſuos, Filios Roberti Comitis Arteſienſis in Ægypto occiſi, eamque inaugurationem maximo apparatu fuiſſe celebratam. Etiam *Bye* in metallica hiſtoria Galliæ, proponit unum numiſma, cujus altera facies repræſentat Monarcham ſolio inſidentem, Regalique veſtitu conſpicuum, præcingentem Torque geminos Adoleſcentes flexisgenibus, coram ſe ſubnixos, in circuitu Numiſmatis, adjectâ inſcriptione: *Ut ſatis præcincti virtutibus.* Aliud exemplum adfert *Mennens* extractum ex Annalibus Angliæ. *Anno* (inquit) *milleſimo trecenteſimo decimo ſexto, Dominus Richardus de Rondney factus fuit Miles apud Kienſkam, die Tranſlationis S. Thomæ Martyris, in præſentia Domini Amalrici Comitis de Zembroke,*

qui

qui cinxit eum gladio, & Dominus Mauritius de Barklay super pedem dextrum posuit unum calcar, & Dominns Bartholomæus de Badelismer Baruterque, posuit aliud super pedem sinistrum in Aula, & hoc facto recessit cum honore. Hucusque stylus Historici. Quanquam quælibet Natio, imò Regio, particulares ritus sive consvetudines in creatione Equitum observabat. *Ignulphus* describit morem antiquorum Saxonum, Lege quadam inviolabili roboratum; *ut qui militiæ legitimè consecrandus esset, vespere præcedente ad Episcopum, Abbatem, Monachum vel Sacerdotem contritus accederet, ac de peccatis Confessionem faceret, & absolutus Orationibus deditus in Ecclesia pernoctaret, tum in crastinum Sacrum auditurus, gladios super Altare offerret, & post Evangelium Sacerdos benedictum gladium collo militis cum Benedictione imponeret, & communicatus Sacris Mysterijs CHRISTI, denuo legitimus Miles permaneret.* Has quoque Cerimonias apud Septemtrionales Populos viguisse docet *Joannes* Episcopus Salisburgensis, ubi ait: *Inolevit consvetudo solennis, ut ea ipsâ die, quâ quisque Militari Cingulo decoratur, Ecclesiam solenniter adeat, gladioque super Altare posito & oblato, quasi celebri Professione factâ, se ipsum obsequio Altaris devoveat, & gladij id est Officij sui jugem Domino spondeat famulatum.* Simile quid reperitur apud *Petrum* Episcopum Blesensem Epistola 49. *Hodie Tirones, enses suos recipiunt de Altari, ut profiteantur se Filios Ecclesiæ, atquè ad honorem Sacerdotij, ad tuitionem pauperum, ad vin-*

vindictam malefactorum, & *Patriæ liberationem Gladium accepisse.* Adducit huic spectantia aliquot exempla *Ottho* Abbas Frisingensis, videlicet Friderici I. Imperatoris, & Gvilhelmi de Rosse Regis Angliæ, qui ab Archiepiscopo Lancfrancensi, Gvilhelmi Comitis Hollandiæ, qui Anno millesimo ducentesimo quadragesimo octavo in Comitijs Coloniensibus, à Rege Bohemiæ, cum assistentia Petri Capputij Cardinalis S. Gregorij, ac Legati Apostolici, ante impositionem Coronæ Imperialis, Aquisgrani Equestri Ordini fuerant aggregati. Ad satiandam Lectoris laudabilem curiositatem, referam singulos Ritus, in præcitata inauguratione servatos. *Post Evangelium cantatæ Missæ, Comes Hollandiæ propositus fuit à Rege Bohemiæ*, & *præsentatus his terminis: Vestræ Reverentiæ Pater Almiflue præsentamus hunc Armigerum, devotissimè supplicantes, quatenus Vestra Paternitas votivam ejus Professionem suscipiat, ut Militari nostro Collegio inscribi valeat.* Tunc Cardinalis explicavit illi vim istius verbi: *Miles.*

Deinde prælegit illi, instructionem vero Militi accommodatam, ut sequitur. *Hæc est Regula Ordinis Militaris.*

I.

In primis cum devota recordatione Officium Dominicæ Passionis diuturnatim audire.

II.

Pro Fide Catholica audacter corpus exponere.

III.

Sanctam Ecclesiam, Ejusque Ministros, à quibuscunque grassatoribus liberare.

IV.

IV.

Viduas, Pupillas, & Orphanos in eorum necessitate protegere.

V.

Injusta bella vitare.

VI.

Iniqua stipendia renuere.

VII.

Suo Principi reverenter in temporalibus obedire.

VIII.

Pro liberatione cujuslibet Innocentis duellum inire.

IX.

Rempublicam illibatam in suo vigore conservare.

X.

Bona feudalia Regni vel Imperij nunquam alienare.

XI.

XI.

Irreprehensibiliter apud DEUM & homines in hoc mundo vivere.

Hæc Statuta Militaris Regulæ si devotè custodieris, & pro Virili diligenter adimpleveris, scias temporalem te honorem in terris, & post hanc vitam requiem æternam in Cælo mereri.

Quo finito Comes jussu Cardinalis ambas man9 junctas posuit super Evangelium, quod in Missali lectum fuerat, quæsivitq; idem Romanus Purpuratus: *Vis Militarem Ordinem in Nomine Domini devotè suscipere, & Regulam tibi verbotenus explicatam, pro tua possibilitate profiteri?* Cui respondit Comes: *volo.* Demùm porrectum sibi à Cardinali textum juramenti pronuntiavit, tenore sequenti: *Ego Gvilhelmus Hollandiensis Militiæ Princeps Sacri Imperij*

e 2

rij Vasallus liber, Jurejurando profiteor Regulæ Militaris observantiam, in præsentia Domini mei Petri ad Velum aureum Diaconi Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legati, per hoc Sacrosanctum Evangelium, quod manu tango. Tandem addidit Superarbiter: *Hæc devota Professio, sit peccatorum tuorum vera remissio. Amen.* Mox Bohemiæ Rex dixit: *Ad Honorem DEI Omnipotentis, te Militem ordino, ac in nostro Collegio te gratanter accipio: & memento, quòd Salvator mundi, coram Anna Pontifice pro te colaphizatus & illusus est, coram Pilato Præside flagellis cæsus, ac spinis coronatus, coram Herode chlamyde vestitus & derisus est: coram omni populo nudus, ac vulneratus, in Cruce suspensus est, cujus opprobria memorari te suadeo, cujus Crucem acceptare te,*

consulo, cujus etiam mortem ulcisci te moneo. Denique omnes audito Sacro de Templo exiverunt, resonantibus tubis, atque tympanis, Comes autem cum Filio Regis umbratilem pugnam lanceâ peregit, deinde gladium evaginavit, quasi voluisset incipere functiones Ordinis, quem receperat. O Equestris Professio? Palestra probitatis, Gymnasium perfectionis, encyclopedia Sanctimoniæ! si hæc omnia Statuta ad amussim implebuntur, tot erunt Cælites, quot Equites. Ex dictis colligat Lector, quàm simile quondam rigidissimorum Cænobitarum Professioni fuerit Militare institutum? quàm ingens Authoritas in Christiana Republica accesserit huic ipsi nomini *Miles*, quandoquidem inter gentilitatis umbras, pari splendore destitutum nomen istud,

cuilibet pediti, ſeu pedeſtri Pugnatori tribuebatur, derivatum à numerabili voce *Mille*, cùm à teneris Romanorum primordijs numerus peditum à Romulo definitus fuerit Millenarius, jam verò ſuccedaneæ ætates, ejuſdem nominis æſtimationem, eo excreviſſe viderunt; ut alijs intitulationibus anteponeretur. Probat id haud paucis exemplis *Hebricomtius*, ac ex antiquioribus Bullis Pontificum evidenter probari poteſt. In Archivis quoquè Lovanienſibus aſſervantur talia documenta, ubi præter Militaris denominationis præcedentiam, expreſſè prohibetur, ne quiſquam Equeſtri cingulo præcingi audeat, vel appellationem Equitis uſurpare, niſi ter ſaltem in expeditionibus bellicis Principis lateri, adhæſiſſet. Excipiebantur à prædicta obli-

obligatione Regum Filij, præſertim in Regno Galliarum, ac alijs Europæ Aulis. Nam *Philippus Auguſtus* Filium Ludovicum cum centū Nobilibus coætaneis cingulo ac dignitate Equeſtri donavit. *Compiennijs*. S. Ludovicus idem præſtitit Philippo III. hic Philippo pulchro, iſte tribus Filijs, præſente Edvardo II. Rege Angliæ Genero ſuo. Solebant ejuſmodi cincturæ, inter ſummas publicitates, atque convivales pompas abſolvi, ut ſcribit *Joinville* in vita Divi Ludovici, quòd ſtatim à peracta inauguratione Comitis Pictavienſis & fratris ejus in *Saumur*, tale tamque ſumptuoſum epulum hoſpitibus appoſuerit, ut ei æquale retroacta ſæcula nequaquam aſpexiſſe, communi judicio crederetur. Quanquam erat in poteſtate Principum, omiſſis pu-

publicis ritibus, privatim idq; in locis extra Regnum positis Equites creare. Dignus fide *Trithemius Abbas* testatur: Fridericum II. Imperatorem in arcano colloquio cum Sancto Ludovico Rege Franciæ, nullâ adhibitâ cerimoniâ, Comiti Provinciæ Equestrem prærogativam indulsisse, mense Majo, Anni millesimi quadringentesimi quinti decimi. Similiter ferè Sigismundus Cæsar, cùm in Parlamento Parisiensi adesset, litigio exorto inter Dominos *Postellan* & *Signelli*, primusque alteri exprobrâsset; quòdnon esset Eques, ad reconciliandos eosdem protestatus est palam, competere sibi jus Equitum creandorum, moxq; propiùs accedentis ac genuflexi *Signelli* dorsum attigit ense, quem tunc à latere Aulici sui acceperat; deinde unum è proprijs calcar

car pedi ejus aptari jussit, demùm gladio donatum, Equitem proclamavit. Quo facto (ut advertit *Tillius*) nihil juri, vel Authoritati Regis Galliæ, à Cæsare derogatum fuit. Refert etiam *Cuspinianus*; Rudolphum Imperatorem plusquàm ducentos Equites auctorâsse, quemlibet unâ manu tenendo, alterâ humeros leniter pulsando, in præsentia Regum; Bohemiæ, Hungariæ, & Poloniæ: tum singulis noviter creatorum, Equitum ensem accingi mandaverat, nullâ prætea adhibitâ publicitate. Habet insuper specialem valorem Equestris dignitas ex eo, quòd sit quasi Lydius lapis Originariæ Nobilitatis à Majoribus derivatæ, probetq; Virum de stemmate natum. Ita ut utroque Jovem de Sangvine ducat. Singulare aliquid notandum occurrit in

f

in Regno Arragoniæ, ubi omnes ex Equeſtri Origine ſeu proſapia nati vocantur *Infants* & *Infantes*. In eodem Regno quilibet Filius, deſtinatur armis gerendis, ideoque vocatur *Miles*. Patrio idiomate *Ricos Hombres*, ac ideo obligantur Parentes Maſculam prolem bellicis applicare obſequijs. At quia ibidem variæ ſunt ſpecies *d' Infants*, propterea obſervari debet diſcrimen inter *Ricos.Hombres*, & alios *Milites*. Ex his nonnulli appellantur *Meſnadarij*, nonnulli autem purè, atq; ſimpliciter *Milites*, ex eo quod à Militibus ortum traxêre, quamvis etiam, ibi nomen *Militis* ad eos propriè pertineat; qui à Rege, Principe, Prælato, cingulo ornantur. Hi genuinè vocari ſolent *Cavalleros*; cùm *Infantes* vocentur *Hyas Dalgo*. Priorum excellentia in

eo

eo conſiſtebat, quòd haberent à Rege aſſignatos proventus optimos ex domibus, Civitatibus, Terragijs, ideoquè in prælijs, pro Rege vel Patria tenebantur aut vincere, aut mori. Olim *Ricos Hombres* ſummam habuerunt Authoritatem, ſiquidem illis, velut ipſis Principibus, præſerebantur Inſignia dignitatum: Filij tamen illorum vocitabantur *Inſantiones*, nec priùs Equites cenſebantur, quàm à Rege Equeſtrem prærogativam cum ſolitis cerimonijs accepiſſent. His præmiſſis circa authorizationem Equitum, adhuc minimè inutilis quæſtio proponi poteſt: in quibus nam circumſtantijs temporum, diſtributivam Militarium Inſignium Juſtitiam Principes communiùs exercebant? Reſpondent Chronographi; practicatam fuiſſe pro libitu promoventi-

f2 um

num, vel ante præliares expeditiones, vel in ipso procinctu præliorum, vel immediatè post triumphalia Bellonæ certamina. Testatur *Burchen*; Anno millesimo ducentesimo octogesimo octavo, *Joannem Ducem Brabantinum* ante *Varringiensem* pugnam, ex generosioribus Indigenis, triginta & unum Equites instituisse. *Godefridum Bullonium* priusquam iter heroicum ad Terram Sanctam aggrederetur, duodecim è fortioribus Civib9, in memoriā numeri Apostolorū, armis præcinxisse, Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo. *Philippus Bon9 Dux Burgundiæ*, in puncto certaminis cum *Gandavensibus* duodecim subditos ense ac cingulo armavit. *Carolus audax* protunc Comes de *Chavalles*, in simili circumstantia, Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto plurimos Equites characterizavit. *Maximilianus Dux Brabantinus* ante prælium *Blangiense*, plusquàm viginti suorum Commilitonum insignivit. Verùmtamen sæpiùs usitatâ praxi non solebant creari Equites, nisi finitâ fortunatè pugnâ, ad accendendos magis animos Prætendentium. Sic *Ferdinandus Dux Castiliæ*, (ut refert Hispana Historia) Rodericum *Diaz de Vivar*, Virum celeberrimum, nonnisi post suppeditatum opportunè succursum *Conimbricensibus* Equestri sublimitate honoravit. *Carolus VIII.* Rex Galliæ similem pompam exhibuit post victoriam *Fornuensem*. Idem præstitit *Carolus V.* Imperator post debellatum Ducem Saxoniæ ac Fortalitium *Tunis* per deditionem occupatum: *Et Joan-*

f3

annes de Auſtria poſt victum Exercitum Gallorum, Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Interim communiſſimè, noſtro etiam ævo, ipſo die Coronationis, cingulo & enſe armantur à Principibus Candidati. Enſis quidem eo fine datur, ut eo ad coronati Capitis defenſionem utantur. Cingulos autem ideo, ut ſuo Principi & Patriæ inſeparabiliter alligentur. Attigi ſuperiùs; poteſtatem creandorum Equitum communicatam fuiſſe, alicubi à Principe perſonis eminentioribus, imò etiam Comitibus, ſed quia ex inferiore conditione conferentis, decreſcere ſenſim videbatur valor dignitatis Equeſtris, uſus ille abrogari debuit, manſitque præfata facultas penes Monarchas, & liberas Reſpublicas. Dubitari ex hac occaſione poteſt: utrum

utrum præter Chriſtianas Majeſtates, Sarraceni quoque, & alij expertes Baptiſmatis, conſequenter hoſtes Crucis, in hæreditarijs Imperijs valeant legitimè authorizare Equites? dubitat *Sanſovinus*, neque vult agitare quæſtionem de legitimitate actûs, licet affirmet, tanquam oculatus Teſtis; quòd *Machomotes* ſecundus Gentili (hoc nomen gerebat, revera Catholicus) *Bellino* Italo Pictori celeberrimo, ad pingendas quaſdam porticus Conſtantinopolim accerſito, dederit Equeſtre Privilegium; inſuper pulcherrimum & magni pretij torquem, cum dependente Luna, more aliorum Imperatorum donavit. Fueritne interim *Bellinus* verus Eques? & an licitè potuerit acceptare illos honores, indeciſam controverſiam cæteris decidendam relinquo.

quo. Sed jam omiſſis alijs feſtinanti ad finem præliminaris proloquij, curſim aliquid de *Scutiferis Gallicè Ecujers* & *Banarettis* Equitibus dicendum reſtat. Scutiferi igitur, è primis Romanæ Militiæ fontibus exorti, ideò ſic appellabantur, quia præter alia armorum genera Scutum geſtabant. Nunc ſecundùm diverſas diverſarum Nationum conſvetndines, in plures Claſſes dividuntur, ex quibus nonnulli ſunt Primogeniti *Equitum aureorum*, nonnulli autem Principibus intimâ familiaritate conjuncti. In multis Italiæ locis titulus *Scutiferi* eſt hæreditarius, quemadmodum & in Anglia præſertim *Campionis*, cui ex Officio incumbit, poſt coronationem Regis, per Triclinium deambulare; eosque ad certamen Monomachicum, ſive duellum palam provocare, qui legitimo Principi recognitionem cum obſequio præſtare recuſarent. Plura circa multiplices Scutiferorum ſpecies videantur apud varios Authores. Ad *Bannarettorum* ſeu *Baronettorum* declarandam nomenclaturam & qualitatem obiter digreditur calamus. Sub hac itaque denominatione, paſſim in exteris Gentibus, comprehenditur Nobilitas ampliſſimarum Ditionum, intra ſuæ juriſdictionis limites collectam Equeſtrem Cohortem proprio ſumptu ſuſtentandam devovent ſervitio Regis ac Reipublicæ, habentq; Jus Vexilla erigendi cum titulo *Bannaretti.* Non ſine ſolennitatibus à Principe ſibi collato. Ita *Caroli Loyſcau* verba ſonant: noſtro modo loquendi. *Bannaretti ex convocatione vel evocatione illorum,* &

Va-

Vasallorum eorum sub ipsis, pro defensione Regni sic dicti. Addit insuper: *Equites qui vexillum erigere poterant id est, qui talem & tantum Vasallorum numerum habebant, qui sufficeret ad complendam Equestrem cohortem, vocabantur Equites Bannaretti*. Priscis ætatibus communiter ex generosioribus deligebantur à Principibus Milites ad gestandum Vexillum, utpotè Sequacem trahens exercitum universum, prætere aliunde nemini ignotum est, erepto seu amisso vexillo protinùs confundi Ordinem Exercituum, ac proinde manutentionem illius, nonnisi fortissimis debere concredi: Ejusmodi apud Romanos erant: *Præfecti Labarorum*, succedaneis postea sæculis cogniti sub mutato novoque nomine *Bannarettorum*. Similis quamvis sub alio nomine ut diximus. Dignitas in Hispanijs concedebatur solùm viris in Regno Nobilissimis, qui primùm post Regem locum obtinebant. *Regnante Adoloinda Alphonsi Catholici Filiâ, connubiali fœdere juncta Donsilo, eoque sublato è vivis, Anno septingentesimo octogesimo tertio, Ricoshombres supradicti ibidem oriri cæperunt*; ut probat Tabula Genealogica Domûs Regiæ. Tanta erat eorum Authoritas, ut possent in propria jurisdictione copias congregare, nec fas fuit Regibus Milites conscribere, multò magis bellum declarare absque Equestris Ordinis, ut in Polonia practicatur consilio & consensu. In Gallijs olim, & in Flandria nemo poterat Bannaretti intitulatione honorari, nisi priùs esset Eques: qui verè eâ decorabantur; ad minimùm viginti quinque

Nobilium Satellitum affiſtentiam circumducere tenebantur; eadem præterea dignitas manebat hæreditaria penes Familias annexa Feudis Ducatuum, Marchionum &c: Ritus inaugurationis *Bannarettorum* præcipuè in Ducatu Burgundiæ (ubi eſſentialiter ad hunc Honorem requiſita accuratè ſervabantur) talis practicabatur. Præco armorum præſentabat Principi Equitem manu tenentem lanceam, è qua dependebat vexillum, cum intertextis ipſius ſtemmatibus, dicebatque formalia: *Potentiſſime ac Supreme mi Domine! Ecce humillimus ſubditus tuus, ex antiqua è ſubditis tuis Bannarettorum ſtirpe oriundus, ſed ſtante Feudo, & Dominio Bannaretti, intra manus Superioris ſui, non poteſt, nec debet abſque ipſius juſſu vexillum erigere, licet ex tali* do-

domo ſit oriundus, tamen antiquum Dominium poſſidet cum Jure Feudi, & Juriſdictionis. Supplicat igitur, ut digneris in conſiderationem præclaræ ſuæ Originis & ſervitiorum Majorum ſuorum, illum Bannerettum creare, licentiamque vexillum erigendi concedere. Hac ſpe fretus ipſius Vexillum & ſtemma hic tibi præſento: viginti quinque etiam Satellitibus, ut moris eſt, comitetur. Cui Princeps reſpondebat: *Veniat! Illum libenter faciam Bannarettum.* Tunc præco Principi gladium porrigebat. Princeps verò ſiniſtra manu armatâ, lanceam accipiens, cum affixo eidem Vexillo, dexterâ fimbriam Vexilli amputabat, ut fieret quadratum. Denique labarum in manus Candidati à Præcone tradebatur, ita loquente: *Generoſe Eques, accipe honorem, quem* ti-

tibi hodie Dominus & Princeps tuus concedit! & esto in posterum bonus Eques, Vexillo tuo ad stirpis tuæ gloriam utendo. Tali planè ritu Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, Ludovicus de *Vico Ville* Dominus de *Saias à Philippo* Bono Duce Burgundiæ evectus est, cum multis alijs *Rupelmundæ* ad Equitis Bannaretti præeminentiam. In Anglia sub nomine *Baronets*, plurimi hucusque inveniuntur, quorum vexilla decorantur stemmatographis notis in quadrato Nummo expressis; quo schemmate demonstrant se à Bannarettis traxisse Originem. Verùm omnes hactenus enumerati Militarium dignitatum splendores, partim notabiliter sunt obscurati, partim extincti in favilla delitescunt. Sola Flandria umbratilia, quædam eorum vestigia retinere videtur, à Burgundicis Ducibus conservata; quanquam veteri normæ adeo difformia, ut jam nemini competat Jus colligendi Militares copias, nisi dependenter à Regum diplomatibus, quibus etiam multi Equites præmiari solent. Audacter proinde dixerim citra ulliusj actantiæ censuram; relegato nomine, reale Bannarettorum munus vigere in Polonia. Hic videlicet Equestris Ordo, id est universa Nobilitas, multò magis Proceres, juxta antiquissima Privilegia, prævijs literis Regijs, habent potestatem erigendi vexilla in obsequium Reipublicæ. E sola *Srzeniavitarum* Familia, in pugna Grunevaldensi, sub Jagiellonide Rege, vexillatas cohortes de integro stetisse legimus. Occurrent facilè Chronica nostra lustraturis:

Wisz-

Wiſzniowiecciana, Oſtrogia, Potocciana, Chodkiewicciana, Sapiehana &c: Proſapiæ, quæ numeroſas legiones, validiſſimasque copias. contra Crucigeros,, Moſchos, Svecos, Tartaros, Turcas, Coſacos, pro tuitione communis Patriæ, Martialibus campis intulerunt. Vetuſtiſſima demùm Ducum atque Regum noſtrorum Privilegia, edicta, deliberativa Oracula remonſtrant poſteritati varios Nobilitatis titulos, paſſim expreſſos hoc ſtylo Curiæ. *Ex conſilio Prælatorum, Procerum & Baronum Regni noſtri &c:* Quo apertè denotantur Epiſcopi, Senatores, ac ſub denominatione Baronum diverſi Ordinis Equeſtris Dignitarij. Invenientur in archivorum monumentis plures Genealogicæ Domûs ultra Principum, Ducum, Comitum magna nomina, etiam

Privilegia Jagiellonis Caſimiri & aliorũ

am Antonomaſticè *Magnorum Comitum* titulis eminentes, qualis inter cæteras fuit *Tęczynia*. Quiſquamne dubitabit? omnibus iſtis Jus plenum communicativum fuiſſe, colligendi ſub ſigna phalanges, condendi propugnacula, ſtipandi latus frequentiſſimo aulicorum & Satellitum comitatu? quod ad præſentia uſq; tempora practicatur, cùm tamen plebejorũ nulli tantæ poteſtatis concedatur participatio. Accumulavit ſupra modum præſentis ætatis fauſtitatem Honorarius *Ordo Equitum Aquilæ albæ*, non ita pridem inſtar Aquilinæ Juventutis intra Sarmatiam renovatus, imò ultra ejus terminales columnas auſpicatiſſimè propagatus: ad cujus primordia & Excellentias explanandas dum currit dextra, hæc Lector amice perpende, ſecutura lege, & vale.

h AU-

AUTHORES
ad hoc Opus adhibiti.

Aëtius. Alexander ab Alexandro. Almoldus. Anſelmus. Auſonius. Bemannus. Bielſki. Bonanni. Bouſſiers. Burchen Bye. Calendarium Saxonicum. Cambdemus. Cavelier. Chariſius. Chruſcinſki. Chwałkowſki. Cicero. Claudianus. Conſtitutiones Regni. Cromerus, Cuſpinianus Danetus. Dion. Favinus. Franxius. Gryphyus. Gvagninus. Hartknoch. Hebricontius. Heiſz Heliot. Herburt. Hermanus. Homerus. Honorius à S. MARIA. Ignulphus. Ines. Joannes Salisburgenſis. Joinville. Jus Pruſſiæ. Juſtiniani. Kadłubek. Kołucki. Lazius. Livius. Loiſcau. Lymnæus. Martialis. Mennens.

nens.

Mezerius. Michieli. Morerius. Neugebauer. Okolſki. Otto Friſingenſis. Paillotus. Paulus Diaconus. Petrus Bleſenſis. Plinius. Pomponius letus. Prætorius. Sacra Scriptura. Sanſovinus. Sarbievius. Schoonobek. Schurtzfleichius. Spelmannus. Spennerus. Sulikovius. Tacitus. Tenzelius. Tillius. Trithemius. Vallemont. Vapovius. Vilſon. Virgilius. Zalaſzewſki. &c.

SYLLABUS
Capitum totius Operis.

Discursus præliminaris de Equitibus.

CA-

CAPUT PRIMUM

De Ordinibus Heroicis in genere.

HEroicorum, ſeu Militarium Ordinum (qua latè patent per Orbem) appellationem obtinuêre adunati per aggregationem particularium Perſonarum, honorificis quibuſdam Inſignibus decoratarum cœtus, ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, liberarumve Rerumpublicarum ſupremis Magiſtratibus. Conferebantur ea ſemper ſelectioribus viris, ob fi-

nes diverſos; videlicet; vel ad continuanda Chriſtianæ pietatis exercitamenta per commilitones, ſimili ſchemate characteriſatos, ac in unam politicam familiam conflatos; vel ad aliquem rerum eventum celebrem quodammodo immortaliſandum; nempe ſeræ poſteritatis memoribus faſtis imprimendum. Hic erat acer ſtimulus bellatricis Magnanimitatis, in tuitione Provinciarum ab hoſtibus, tum Religionis, tum Patriæ palam exerendæ. Idem fuit præmium Civium tam in Toga quam in Sago benemeritorum; idem aulici Comitatûs ſpeciale ornamentum, augendo Regalis authoritatis ſplendori accommodatum. Inſigne etenim ejuſmodi rutilans in pectoribus, Proceres & Miniſtros intimæ admiſſionis, atq; collatera-

rales Soliorũ Adſtitès, à remotiore Aſſeclarum turba diſtingvebat. Tales autem teſſerariæ quaſi notæ cenſebantur plerumq; Torques aureus, Cingulus, Zona, Baltheus, ſeu Faſcia, Vitta, Tænia certi coloris, ad expreſſionem hujus diſtinctionis aſſumpta. Torquibus nimirum colla vel latera, Baltheis ab humero ad lumbos obliquè defluentibus, (uti & nunc Heroum Imagines ornari ſolent) fortiſſimorum Equitum Corpora cingebantur. Inde emanavit antiquitùs *Baltheorum Militarium* nuncupatio, tanquam evidentium documentorum exhibitæ in Arena Martiali dexteritatis, partarumq; multoties victoriarum, aut in Torneamentis, Haſtiludiis, & aliis, haud umbratilem Gradivi ſcenam repræſentantibus ſpectaculis probatæ acti-

activitatis. Nemini verò de grege Plebejo præter solam duntaxat Generis vetustate præcellentem Nobilitatem, ad Heroos ejusmodi ludos patebat accessus. Magna quippè differentia inter generosam, & vulgarem Indolem elucet. Quis enim in hominibus ad actiones arduas applicandis nascendi sortem, tanquam virtutis Comitem non inquiret? Ritus autem inaugurationis Equitum (*Teste Sansovino*) circa sæculum XI. à CHRISTO Nato iste servabatur: peracta pridie peccatorum Confessione, ducebatur Candidatus à duobus Equitibus antiquioribus ante Conspectum Regis, qui post receptum iusiurandum super observandas leges Ordinis, Gladio priùs benedicto Caput vel Scapulas Equitis leviter tangere so-

lebat, proferendo: *DEUS Te faciat bonum Equitem & Sanctus N. Tutelaris Ordinis.* Superveniebant deinde septem Nobilissimæ Puellæ albo colore amictæ in memoriam septem Gaudiorum Beatissimæ MARIÆ, cingebantq; Equitem Cingulo Militari, Ense onusto, comparebant demùm quatuor præstantiores Equites Evangelistarum numerum repræsentantes, qui eidem calcaria aurea vel deaurata adaptabant. Tandem Regina ipsa apprehenso brachio dextro, & alia Ducissa sinistro, comitabantur Neo-Equitem ad ornatissimam sedem, illumq; in medio assidere faciebant, cuius Collo imposito Torque, Rex à dextris, Regina à sinistris, cæteræ Personæ primæ extractionis utriusq; sexûs, inferiorem tribus gradibus

locum capiebant. Monebatur expoſt à Solenniſante Prælato Eques his ferè verbis: *Sis magnanimus in adverſitate, ingenuus in Conſangvinitate, largiſluus in honeſtate, egregius in curialitate, ſtrenuus in virili probitate.* Profiteberis inſuper Fidem noſtram toto corde, purè & integrè abſq; ulla notâ; loca Sancta, videlicet Templa, Monaſteria, Xenodochia viſitabis, pauperibus opem feres, Hæreſes fugies, imò te ipſis oppones, Sacerdotes honorabis propter illorum Miniſterium, res iam approbatas non condemnabis, in proprio ſenſu non abundabis, futura curiosè non inquires, offenſas ſincerè ignoſces, hoſpites amicè recipies, veritatem ſemper dices, convivia luxurioſa declinabis, non vagaberis, otium vitabis, utiliter tem-

tempus conſumendo, militiam exercebis, ab inhoneſtis voluptatibus abſtinebis, Officia charitatis proximo præſtabis, grandævos ætate & Magiſtratus veneraberis, cum Magnatibus converſaberis, agenda expeditè ages, non litigabis, nec contentiones excitabis, temetipſum non laudabis, congruâ modeſtiâ uteris, maturus & ſerius ubiq; locorum comparebis, viros doctos frequentabis, exceſſivas divitias anxiè non appetes, mundi miſerias tolerabis patienter, nihil niſi juſtum & Chriſtianum molieris, oppreſſis, viduis, & orphanis opem feres, poſt DEUM, Principi & Patriæ fidelis eris, cum ſplendore congruo incedes, in ſimplicitate cordis cum hominibus, & puritate mentis in DEUM vives, armatus iuxta D. Paulum fide &

& DEO, cum thorace justitiæ, cum scuto Fidei, cum Galea salutis, & cum gladio simplicis & puri animi. Claudebat cerimoniā amplexus Principis ac Basium, quorum utroq; Neo-inauguratus Eques à Confratribus longo Ordine succedentibus salutabatur, ad extremum toti Actui finem imponebat epulum opulentissimum. Mos fuit ad hæc usq; tempora devolutus, non tantum latera vel pectora, sed etiam Stemmata, Signacula, Imagines prædictis Insignibus circumdare. Probè itaq; *Spenerus* in opere Heraldico, inter Insignia Ordinum Equestrium annulos aureos, Torques, Armillas, Baltheos, Cingulos recenset. Primi è Christianis Principibus, Constantinus Magnus, Carolus M. Henricus Auceps Imperatores sicut

cut

cut Torneamentorum seu Ludorum Equestrium, ita horum Insignium Inventores assignantur. At usus eorum retroactis quoq; sæculis viguisse verisimiliùs creditur. Idem enim supra citatus *Spenerus* (ait.) *Quemadmodum incitamenta virtutes Romanæ in Pace quædam Domiq; fuerant, ita foris in prælijs stimuli ad res præclarè gerendas majores erant, dona scilicet militaria prudenti ratione primum excogitata, & deinceps cum Imperio ita aucta, ut quot quisq; stipendia fecisset, quot Coronas & quales meruisset, quot armillas cristasq;, quot Torques, quales Phaleras, hastas, pilas, Baltheum: hæc omnia supra clypeum & galeam opposita in Bellis gestari solita. Cùm Pacis munia iterum soveret, domum regressus optimus quisq; ea suspen-*

de-

debat, atq; ornamentorum sive Insignium locò, longa successione ad posteritatem transmittebat. Duces enim præmij gratiâ, ob fortitudinem hæc dona Militaria & certas Imagines Militibus dare consueverant. Apud eosdem Romanos prima Cohors gestabat Aquilam, unde Aquilifera vocitata, hæc alias Cohortes numero Militum & dignitate prævolabat. Hactenus verba *Speneri*: *Spelmannus* autem *Baltheum* diagonum & triumphalem olim à Romanis ad humeros Militares aptatum extitisse asserit. Nam Balthea quæ victis ademerant, proprijs applicabant humeris Victores, pro immortalis gloriæ ac obtenti de hoste triumphi documento, prout Manlium Torquatum fecisse dicemus inferiùs. Huc spectant illa Metra Maronis:

Hume-

. Humero cùm apparuit alto
Baltheus, & notis fulserunt cingula bullis,
Pallantis pueri, victum quem vulnere Turnus
Straverat, ac humeris inimicum insigne gerebat.

Aetius affirmat, zonam ad humeros suspensam victoriæ argumentum fuisse. Hinc pariter *Manlij* paulò ante memorati Torques perennem celebritatem, & summum in Romana Republica meruit honorem, tanquam opimum spolium Gallo detractum, indeq; Torquatorum nomen, nec non avitum Familiæ Stemma ad posteros derivatum. Propterea succedanei istius Prosapiæ surculi, *Torquati* sunt nuncupati, Teste *Svetonio*; ubi ait de abrogato eidem Tor-

que

que poſt factam à Caligula proſcriptionem. Vocabantur inſuper alii *Torquati Duplares* alii *Simplares* Equites. Prioribus offerebatur Torques ex auro ſolido cum duplicata Annona, præter publicum virtutis encomium. Poſteriores unius tantum Annonæ ſtipendio debebant eſſe contenti. Conferebantur etiam antiquitùs Cinguli Militares, diverſi tamen à Baltheis, nam iſti adinſtar Faſciarum humeris adaptabantur, illi verò ſemora Equitum unâ cum pendulo gladio præcingebant, ſerviebantq; ſuſpendendis pharetris, enſibus, haſtis aut cuneis quadratis, quibus emeriti Milites à Principibus donabantur, tanquam præmijs laudabilis facinoris ac virtutis. Id quod Claudianus in ſecunda Panegyri Styliconis innuere videtur.

Plinius de priſcis Romanorum temporib⁹.

Qui

Qui & Sidonias chlamydes & Cyngula baccis
Aſpera, gemmataſq; Togas virideſq; Smaragdo
Loricas, galeaſq; renidentes hyacinthis,
Geſtatoſq; Patri capulis radiantibus enſes,
Et vario lapidum diſtinctas igne coronas,
Dividis ex æquo.

Longè tamen vetuſtior uſus præfatorũ Cingulorum Militariũ à Trojanis Equitibus demonſtratur, ex vindicta *Achillis* in *Hectorem* ratione Cinguli *Patrocli*, & *Æneæ* in *Turnum* reſpectu Cinguli *Pallantis*. Alexandrũ quoq; Magnũ Majorum ſuorũ inſiſtentē veſtigijs referunt Scriptores: plurimos Milites belli artib⁹ conſpicuos, ex conſilio Ariſtotelis Philoſophi creaſſe Equites, illiſq; arma, inſignia, ſtemmata, Vexilla, Balthea, Cingulos Torques, ampla Privilegia & alias honorabiles notas contuliſſe. Apud Romanos itidē Cingulis Militaribus donati Heroes, *Monozonij*

Virgilius.

Livius.

Equi-

Equites vocabantur, illi quib9 Monilia argentea conferebantur;cum corniculis *Cornicularij* dicebantur; Torquati pendulâ effigie Principis, *Baltheati* nuncupabantur; *Ramnenses*, *Tatienses*, *Commeatiles* Equites, coronas, galeas, tum alia distincta signa, in vim meritorum recipiebant. Habebant præterea ultra eximias prærogativas, concessum sibi amictum Purpuræ, & jus portandi annulos aureos quib9 sequentibus sæculis successerunt calcaria aurea vel deaurata. UndeFranciscus *Filelfus* Vir sui ævi doct9, prim9 Equites tales *auratos* nominavit, ut intelligant teneri,munere suo equitatim fungi,nã us9calcariũ nisi Equitanti b9 convenit. Luculentiùs præmissa patebunt ex vetustissimis Inscriptionibus, marmori insculptis in Italia reperi- *Tacitus.*

ribilibus, & quidem *Paduæ* in æde Pauli Ramusij Viri Doctissimi, tenoris sequentis: *Sansovin9.*

JANO PATRI.
AUG. SACR.
C. JULIUS C. F. SER.
ÆTOR. ÆD.
DONATUS. AB. TI. CÆS.
AUG. F. AUGUSTO. TORQUE.
MAJORE BELLO DALMATICO.
OB. HONOREM II. VIRATUS.
CUM LIBRIS SUIS POS.

Similes leguntur characteres in Civitate *Castella* dicta in Statu Florentino sita.

Q. ALBIO. Q. F. HOR. ILLICI.
T. LEG. XX. V. V.
CORNICULARIO. PR. P. R.
DONIS. DONATO. AB. DIVO.
TRA-

TRAIANO AUG.
TORQUIBUS, ARMILLIS,
PHALERIS, BELLO PARTHICO. ET. AB.
IMP. CÆSARE TRAIANO.
HADRIANO. AUG. HASTA PURA.
ET. CORONA AUREA.
AVILLIA. SOTERIS MATER.
FILIO, OPTIMO, PIENTISSIMO.
L. D. D. D.

Ibidem

L. Sicinius Dentatus, Trib: Pleb: Centies vicies præliatus, octies. IX. provocatione victor. XLV. cicatricibus adverso corpore insignis, nulla in tergo; idem. Spolia cepit XXXVII. donatus hastis puris. XLIX. Phaleris XXV. Torquibus CLXXXIII. Armillis CLX. Coronis XVI. Civicis XIII. aureis VIII. mural. III. obsidionales I. Fisco, aëris X. Captivis XX. Im-

Imperatores VIII. ipsius maximè opera triumphantes secutus.

Enimverò extra Urbis Orbi dominantis limites, quantam æstimationem habuerint apud exteras Gentes similes honoris notæ, divinior pagina manifestè attestatur: quandoquidem Ægiptius Pharao in supremæ dignitatis verticem evecturus Hæbreorum speciale decus Josephum, annulum digito Regali detractum dedisse in manum ejus, vestivisseq; eum Stolâ byssinâ, & collo Torquem auream circumposuisse legitur. In Apocalypsi quoq; futurorum eventuum augurijs, ac reconditioribus refertâ Mysterijs, Victori CHRISTO *Baltheus* circa mamillas tribuitur. Jeremias DEI Mandato, evehendo in Equitem Judam, extendit gladium & di-

dixit: *Accipe hunc Sanctum Gladium Donum Divinum, cum quo destrues Adversarios populi ejus Isräël.* Solebant adhuc veteres superaddere Torquem aureum Heroibus in signum strictioris vinculi & specialis favoris. Libri Machabæorum idem testantur, dum aiunt: *Quicunq; hoc scriptum leget & mihi interpretabitur, induetur Purpurâ, gestabit in collo Torquem aureum, & erit tertia Persona Regni mei.* Nunc ad recentiora procedimus. In Hispania celeberrimum floruisse Ordinem *Equestris Balthei,* seu *de Banda* Spenneri calamus adnotavit. *Alphonsus* (inquit:) *Secundus Rex Castellæ* 1332. *Anno, antequam Regnum capesseret, in Urbe Victoria sive Palentia, ordinem instituit de Banda dictum: quia quo die à Rege, Ordinis Magistro*

cre-

creabantur Equites, Fasciam rubeam quatuor digitos latam gestabant ex humero dextro, sub brachium lævum dependentem. In eum admittebantur Nobiles, qui Decennium contra Mauros in Militia exegissent. Idem in Svecia meminit Ordinis sub nomine *Balthei Militaris,* Torquem nempe conficiebant Equites ex gladiis in eodem pendulis, invicem sese contingentibus, ideoq; speciem quandam cruentæ aciei ad conflictum concurrentis remonstrantibus. Non incongruè proinde *Joannes Lymnæus* Author non ignobilis cum aliis plurimis, cunctorum Ordinum Torques (Gallis *Colliers*, Italis *di Collona*) dictos, cæteraq; insignia sub nomine *Baltheorũ Militarium* ut infra dicetur complectitur. Verùm quid juvat Politioris Eu-

ro-

ropæ morem, quò ad hoc punctum obiter commemorare, quandoquidem nec inculta Barbaries distinctivis honorariorum Schematum destituitur ornamentis, velut inter horrida desertæ Arabiæ dumeta speciosi subinde oriuntur flosculi; sic inter mores Barbaricos emicat rectæ rationis scintilla, tersioris culturæ defectum supplente naturali prudentiâ. Ita Reges Tafileti Mauri fuscis vultibus difformes, quia formosioris prærogativæ candidè avidi, pro differentiali signo catenâ aureâ utuntur. Nec Americana ruditas expers est Equitum insignium, attestante *Schurtzfleischio*, de Ordinibus §. 10. pag: 8. in hæc verba: *Imò quod miremur licet, Imperia & Regna Orbis remotissima, eaq; nec literis culta, nec Christi-*

stianorum Sacris mitigata, Ordines huiusmodi receperunt & approbârunt. Mexicani & Parcani Tecuijtlos suos & Oregones vulgò dictos habuerunt, haud secus apud Japones Nerigori, inter Turcas Equites à Luna cognominati, Sousae, Lusitani, Sansovini & Mennenii testimoniis celebrantur, quoniam constitutis hisce Sodalitatibus, potentiam & auctoritatem inter Barbaros retinuerunt. Turcarum pariter Sultani aliàs Ottomanici Imperatores, sub tempus inaugurationis, magnorum Wezyrorum, Collo Sigillum Imperij, Torqui aureo appensum imponunt; ut suæ potestatis vicariam præeminentiam ijsdē delatam demonstrent. Si tamen retrogradâ pennâ in Europam revolare licet; nescio quis ignorat Venetam & Batavicam Rempublicam;

haud aliter Legatos Principum post finitam functionem expedire Domum, nisi Torque aureo decoratos, cujus privationē, in læsivum suorum Principalium dishonorem communi verterent arbitrio. Domesticorum etiam fastorum monumenta similibus non carent exemplis, nam ut multa præteream, unicum produco, quod *Demetrius Sulikowski* suis inseruit Commentarijs: nempe Legatos Polonorum ad Henricum Andegavensem electum, Gentis liberrimæ Regem, ad occupandum Solium invitaturos, non aliter nisi splendidè Torquatos à Carolo IX. Rege Franciæ fuisse dimissos. Quin-imò dubitari nequit, nullum planè Monarcham, nullam præsertim libertate pollentem Rempublicam, reperiri, cui ingeniosa desit industria,

Folio 18.

honorarijs quibusdam characterismis, tum Civium Patriæ præcellentiora merita remunerandi, tum Amicorū viciniorumq; affectus strictiùs obligandi. Potentissimi scilicet sunt nexus talium Societatum, dum amabili Fratrū nomine plus quàm affinitatis vel Consangvinitatis nodo, quantumvis distantes ab invicem Socij vinciuntur. Hinc ipsæ Principum Purpuræ his aggregatæ Cœtibus, supremi eorundem Magisterij titulum nequaquam erubescunt. Libenter Regalem supereminentiam cum subditis fidelibus hoc modo partiuntur, quos ad participationem similis decoramenti admittunt; pendulisquasi à corde emeriti honoris fructibus manifestant, quòd fortium rectefacta virorum sterilescere non patiantur.

Nec

Nec Bellonæ tantùm, ſed Minervæ quoq; devota pectora pro ſcientiarum ſublimitate, pro ſubtilitate Artium liberalium, aliorumve talentorum præſtantia, Torquatis Clenodijs coruſcare, frequenter conſpiciuntur. Deniq; iſtud eſt univerſale ſeu Togatæ, ſeu armatæ virtutis præmium, veluti jure Gentium honorandis Illuſtribus Perſonis adjudicatum, cujus pretium ne ſubſequentibus vileſcat ætatibus, juſtè ſapientiſſimorum Principum obviat providentia. Mihi interim generaliter de illius antiquitate ac valore hucusq; dicta ſufficiant.

CAPUT II.

De varijs Claſſibus Ordinum Equeſtrium.

Inter pulcherrimas varietates Cœtuum

Heroicorum, diverſa Imperia exornantes, præter non nullos purè Religioſos ſeu Spirituales, inveniuntur tres Claſſes atq; diviſiones. Ad primam Claſſem pertinent *Regulares ſimul & Militares*, quales ſunt Melitenſes. Hi enim aliarũ Religionum more, triplici voto in profeſſione ſolenni obſtringuntur. Paupertatis quidem; cùm nullam proprietatem habeant, nec ultimæ voluntatis tabulas, ſive teſtamenta, authoritate propria condere poſſint, & quidquid acquirunt, id univerſo Ordini acquirant. Ad hæc obſtricti ſunt voto Caſtitatis, aliàs Cælibatûs perpetui; quia absq; diſpenſatione Summi Pontificis, Matrimonialem ſtatum validè ac licitè amplecti nequeunt. Deniq; vovent obedientiam tam Sedi Apoſtolicæ, quàm

Supremo ſui Ordinis Magiſtro, Sacroſanctè ſpondendo, ſe militaturos ad uſq; vitæ tempora, contra juratos hoſtes Salutiferæ Crucis, nec ulla Pacta aut Pacis fœdera cum illis concluſuros. Enimverò vix gloriosior excogitari valet profeſſio! eoſdem cum Numine habere adverſarios, adversùs inſanam Gigantomachiam Superos propugnare, unitis viribus tueri Cultum Conditoris omnium Creaturarum. Similes quondam floruerunt Equites Theutonici, dicti Crucigeri in Pruſſia, Enſiferi in Livonia: verùm ſvave Jugum votorum Regularium, unâ cum Fide Catholica excuſſerunt. Vigebant inſuper aliquando in Chriſtiana Republica Equites *Hoſpitalarij* Militares pariter; quibus ex obligatione incumbebat munus providen-

dendi ſecuritatem viarum, peregrinantibus ad Loca Sacratiora, videlicet in terras Paleſtinæ, Redemptoris noſtri pretioſo cruore reſperſas, item ad Compoſtellanum Divi Jacobi Sepulchrum; nec non leproſos, cæteriſve ægritudinibus oppreſſos, in publicis Hoſpitalibus ſeu Noſocomijs exquiſitis operibus charitatis fovendi. Reliqui Ordines, qui paſſim in multiplicibus Regnis viſuntur, ſunt merè Heroici, nec non inſimul Honorarij & Civiles. De numero ejuſmodi Equitum, nihil determinatum dici poteſt; quandoquidem is certus vel incertus eſſe ſoleat, ſecundùm beneplacitum Principum ac inſtitutorum! Sicubi certè in hujus computationis definienda certitudine, ſtat pro firma lege voluntas. Promoventur

tur autem aliquando, in convocato per Monarcham publico congreſſu, intra tremenda incruenti Sacrificij Myſteria, aliquando privatim inveſtiuntur, regulis quibuſdam circumſcribuntur, prærogativis donantur, amplioribus ditantur proventibus. Aliquibus tamen nulli attribuuntur proventus, uti Equitibus aurei Velleris, Elephantis, Periſcelidis, S. Andreæ, Aquilæ nigræ, plurimisq; cæteris; apud quos ipſa ſibi virtus pretium & præmium eſt, ſoliusq; honoris cauſa, grande motivum Heroica procurandi geſtandiq; inſignia. Ex his nonnulli geſtant ſolos Torques, aut ſolas Tænias, alijs autem Tæniæ ſimul cum Torquibus conferuntur, ut Equitibus S. Spiritûs in Gallia, qui Torque utuntur, ſolenniſſimo eoq; Titulari Die

Pen-

Pentecoſtes, nec non in celebrioribus per decurſum anni Feſtivitatibus, vel maximè autem interveniente plauſibili Actu, tum propriæ, tum aliorum Equitum inaugurationis. Cæteris quibusvis temporibus, ad manifeſtandum ſuſcepti Ordinis prærogativam Baltheo, ſeu Tænia cærulei coloris (Gallis Cordon Cleu) cum pendula Cruce, effigie Columbæ inſignita diagonaliter præcincti incedunt. Juvat nimirum rememorativos eminentioris dignitatis characteres jugiter ſubjectos oculis demonſtrare; ne obligationis inductæ, ad proportionatam ſtatui generoſitatem ubiq; exhibendam, obrepat animis oblivio. Ex altera parte, prout varietas rerum in ſublunari Orbe auget univerſi decorem; ſic alterna ejuſmodi Mar-

ti-

tialium ornamentorum mutatio magis curiosos delectat spectatores, quorum familiaris & quotidianus usus facilè pareret vilipensionem. Quoniam autem de Ordine Melitensi in Regno Poloniæ florentissimo, pauca superiùs innuimus, non ingratum fore curioso Lectori arbitramur, si ejusdem principalia statuta & leges huic capiti inseremus.

Statuta quædam Generalia totum Ordinem concernentia.

HAbent supra enumeratæ lingvæ proprias suas Domos, quas Cænobia vocant, ubi Equites ordinariè solent convivari, in quovis Cænobio quædam perticæ sunt erectæ, quibus in magnis Festis tria sinuosa vexilla explicantur.

Ple-

Plerumq; in uno extant insignia magni Magistri, in altero Patriæ suæ seu Regni, in quo nati & educati, in tertio totius Ordinis cum octangulari magna Cruce, in Area sangvinei coloris; quæ singulare ornamentum ædibus, ubi panduntur præbent.

Quamprimum Eques Nationis Germanicæ venit in Conventum Capitularem, oportet eum confestim numerare præsente pecunia ducentos coronatos, vel ipsi Capitulo in Germania, vel in Malta publico ærario; quod vocatur Jus transitus, & ipsi nummi Pastasi pecunia ab ipsis appellantur.

Singulis Equitibus per totum vitæ suæ curriculum, qui Valettæ degunt, eò se conferentes, ordinaria sternitur mensa in Cænobio suæ Nationis, & præte-

terea XXII. coronati ex Ærario numerantur. Si verò eidem non placeat in hoc suæ Nationis diversorio, sed alibi in Urbe, victum suum sumere, quotannis ei L X. sexaginta coronati pro alimentis assignantur; qui Novicij sunt Equites, primo Anno præter tabulam convictûs, nonnisi septem coronatos accipiunt.

Numerus Equitum partim Maltæ, partim alibi in diversis Regnis degentium, excedit tertium Millenarium: quorum tamen major pars semper in Insula.

Omnes Equites, etiam Clerici, & servientes, nullo excepto, ad pericula Bellica contra Turcas; singuli pro se, ad minimum ter, semestri ad singulas vices tempore subeunda tenentur.

Por-

Porro observandum, quemlibet captivum Equitem teneri se redimere ex manu Turcarum propriâ sui Patrimonij vel Familiæ pecuniâ.

Equitibus planè interdictum Conjugio, vel transitu ad illud per votum, multò minùs per ipsum Actum & consummationem, atq; adeo procreatione liberorum legitimorum, quia est Ordo Ecclesiasticus Equèstris.

Consimiliter ipsis non licet Hæredes instituere Bonorum suorum mobilium, cùm obeunt diem suum. Siquidem cuncta relicta absolutè redeunt ad Ordinem, & ex Jure ejusdem in ærarium referuntur.

Si forsitan Eques quisquam contra Christianum, ejus lædendi gratiâ gladium stringat, vel hostiliter invadat,

 ex-

excommunicatur Ecclesiasticè & Civili quoq; pæna juxta delicti sui mensuram severè castigatur.

Nulli Equitum integrum est ad electionem magni Magistri armatum vel gladio saltem cinctum apparere; aut aliàs in Palatio magni Magistri coram Capitulo se taliter sistere (exceptis illis solis qui magnum Magistrum comitantur) alioquin amittit suum Votum, vel Triennalem sui honoris & libertatis Possessionem. Verùm circumstantijs pensiculatis, si deprehendatur illud alio casu & non ex proposito factum esse, tunc Nationes vel Prioratus à tali damno absolvere & honorem statim reddere possunt.

Inter alia, si Eques contra Canones Ordinis graviter impegerit, ei pæna quadraginta dierum (la pæna della quarantena) imponitur; primò totum septendium cogitur consumere in carcere, solo atro pane & aquâ limpidâ victitans. Deinde extrahitur quidem carcere, at non licet ei usq; post trigesimum tertium diem liberè ingredi Cænobium, ullius Nationis, vel intra hunc terminum, cum Equitibus alijsve Nobilibus Personis conferre, & ullam habere communionem.

Ultra alias prærogativas plures hac etiam particulari pollet in Polonia propè dictus Ordo, quòd Equites sui Instituti ex nobilissimis selecti Familijs tam Spiritualium beneficiorum, quàm Senatoriarum Curulium Regni, cæterarumq; dignitatum sæcularium capaces censeantur. Nostris temporibus Hiero-

ronymus Lubomirſki, Profeſſus olim, Eques Melitenſis, Mareſchalcus Curiæ Regni ſimulq; Commendatarius centum villarum Abbas Tinecenſis Regulæ D. Benedicti extiterat. Enumeratis iam generaliter ſignis militaribus, à quibus numeroſi Ordines traxerunt Originem, ad noſtrum in particulari elucidandum deſcenſus arridet.

CAPUT III.

De

Origine Polonici Ordinis Aquilæ Albæ.

SI quis acutiore intuitu, ſcrutetur exteriorem albeſcentis Aquilæ formam, ſpecialiter Ordini noſtro appropriatam; illam certè cum naſcente Polonia natam, & in primævis Regni incuna-

bu-

bulis repoſitam fuiſſe deprehendet. Hanc procul dubio principaliſſim, Conditor Lechus circa Annum CHRISTI quingenteſimum quinquageſimum, futurarum libertatum haud vanum augurem, quia (ut Author Lechiadis obſervavit) bis Jubilæum, pro ſtemmatographo ſignaculo ſucceſſuræ Lechitarum propagini aſſignavit. Quale-nam ad hoc ſtemma deligendum impellens incentivum habuerit? nihil certum variantium Authorum conjecturæ concludunt. Nimirum ut fontem Nili non tam ipſius fluminis amplitudo, quàm immemorabilis occultavit antiquitas, fruſtraq; illius Indagatores, Lympharũ abundantiæ, ſudoris guttas affundunt; ſic in elucidandis antiquitatum tenebris parum proficit recentiorum Hi-

ſto-

ſtoricorum ſolertia. Quidquid de remotiſſimis à recordatione propinquioris ævi ſæculorum actis affirmant; dubitandi locum relinquunt poſteris, non niſi humanæ fidei ancipiti lance eorum teſtimonia ponderantibus. Hinc ſæpenumero Scriptores in paginarum arena diſcrepantibus ſententijs belligerant, & calamis digladiantur. Referunt nonnulli: à vetuſtiſſimis Sarmatis (unde ſuam ducunt Poloni propaginem, paſſim Sarmatæ ac Sauromatæ nuncupati) Orbis ferè totius habenas moderante Auguſto Cæſare, in victorioſo prælio, inter alia ſpolia ereptas fuiſſe argenteas Aquilas tribus Romanorum Legionibus, ſub *Quintillio Varro* militantibus, conflictum hunc triumphalem Anno CHRISTI decimo in

Pomponius. Letus. Kadłubek.

Weſt-

Weſtphalia propè Amaſin & Lupiam, contigiſſe, atq; poſt illam ſenſibilem cladem, ſtatutum perpetuis Legibus; ne tot Imperiorum Domitores Exercitûs Sarmatiæ fines temerè irritarent. Nec Leo quippe Belluarum ferociſſimus aliena infeſtat cubilia, contortis eminus iaculis inde propulſatus. Solùm indocile animal muſca, centies à fronte rejecta, tam diu aſſultum repetit; donec vindice manu conteratur. Innotuit forſitan per ætatum traditiones triumphus ille celeberrimus, ſero Sarmatarum Nepoti Lecho; ideoq; pro æviterno anathemate, quaſi unam ex prædatricibus Auſonum volucribus (quæ Aboriginibus in prædam ceſſerat) argento utiq; concolorem, Genti à ſe conditæ reliquit characteriſticam. Vi-

ci-

cinior interim & origini Polonici Nominis, & verosimilitudini videtur aliorum Chronologorum relatio. Asserunt isti, cùm Antesignano annalium Patriorum Cromero: quod Lecho è Sclavonia Civilibus agitata motibus in citeriorem Septemtrionem Advenæ, prima quædam statio extiterit in campis latè patentibus, ad augendam loci amænitatem denso nemore veluti coronatis. Ibi pulchritudinem sitûs exploranti hospitis oculo; obtulit sese spectandam ingens nidorum Aquilinorum multitudo. Visa est res fortunati ominis, superstitiosis præsertim ritibus innutrito Principi; & ex fortuito quovis spectaculo futurorum eventuum formanti vaticinia. Unde non solùm pro universali succrescentis Regni stem-

ma-

mate assumpta candescens Aquila; verùm etiam surrecturæ protinus Urbi inditum vocabulum Gnesnæ, quæ in Idiomate Sclavonico *Nidum* significat. Subsistit hactenus eadem Civitas, licet alternante temporum vicissitudine diminuta, speciosis tamen grandescens titulis nimirùm Primatialis ac Metropolitanæ Sedis Archiepiscopi primiq; Principis, Senatoria Castellani dignitate, Equestri, præterea Gubernatoris, seu Capitanei prærogativâ sublimis. Pridem id non tam fragilibus chartis, quàm perennantibus Carpathi Saxis insculpta Metra testantur sequentia.

Quæ modo Sarmatia est, quondam
deserta fuerunt
Invia, post magnas Deucaleonis aquas.

Pri-

Primus in hæc Lechus populum deduxit agrestem.
De Patria pulsus seditione Domo.
Dalmata vir, Phariis claro Patre natus in agris,
Quos rapidus curvis Crupa pererrat aquis.
Colle super pulchro properatæ mænia Gnesnæ,
Struxit, & à nidis nomen habere dedit.
Omine permotus; multas ibi namq; videbat
Per vicinum Aquilas nidificasse nemus.
Exule Patre sumus: sed plurima Regna per Orbem,
Principia Exulibus dant sua, Roma Lupæ.

Consonam igitur veritati narrationem texuit *Schonebekius*, Ordinem

Aqui-



LECHVS PRIMVS PRINCEPS POLONIÆ ET INSIGNIVM ORDINIS AQVILÆ ALBÆ AVTHOR.

Aquilæ Albæ Hiſtorico ſtylo enucleans: plurimos nempe reperiri Annaliſtas, qui non tantùm ejuſmodi Inſigne Polonis à Lecho traditum eſſe aſſerant; ſed eundem Ordinis, Aquilam candidam geſtantis inſtitutorem agnoſcant. Nec hoc incongruum alicui videri debet. Quidni enim exterarum Monarchiarum, morumq; illis uſitatorum notitiâ eruditus Princeps, ad imitationem Romanæ Reipublicæ, Heroica Bellatorum facta, ſimili donario præmiare potuerit? quandoquidem poſtliminio Premiſlai II. perſpicaciam nequaquam effugit politicum artificium, pari methodo Loricatorum Commilitonum egregios auſus remunerandi, & Spartanis æmula muris pectora, Militaribus adornandi munuſculis; prout infra latiùs

 di-

dicetur. Abſorpta tandem Protoparentis Polonorum Lechi, nec non Craci, Leſcorumq́; poſteritate, pœnalibus votivorum murium faucibus, in Popielo II. per liberam Electionem devolutum eſt Regnum verſatili fortunæ Rotâ ad Piaſtum Cruſvicenſem Rotificem, deinde ad Succeſſores ejus; Zemovitum, Leſcum quintum, Zemomyſlum, Mieciſlaum primogenitum in Lechia Orthodoxæ Eccleſiæ, Boleſlaum Chrobry Polonici Diadematis Phoſphorum, Mieciſlaum ſecundum, Caſimirum primum, & Boleſlaum Audacem recentiſſimè irradiatorum Paternorum Capitum fatalem Heſperum. Horum omnium ſigilla, Imagines, numiſmata, ſimulacra, nulli videre contigit, ſine pectore figurâ albæ Aquilæ exornato. Quan-

quam

quam Boleſlao tyrannicè audaci, quia Divi Staniſlai Cracovienſis Epiſcopi interfectori, mox ut Regalis titulus cum regimine, ob tam enormè facinus, fuit abrogatus; univerſa Regni decora peſſumivêre, imò tota Reipublicæ forma diu ſquallida manſit atq́; deformata. Adeo purpuratorum pœnas delictorum ſubjectæ luunt chlamydes, ut ſaltim lachrymarum fonte eluant. Unius quaſi Protoplaſti Regnorum crimen ac ſupplicium, ad vaſtam populorum communitatem extenditur. Boleſlaus itaq́; Crivouſtus, ſive contorti oris, illius audacis ex Fratre Germano Nepos, ex eo tenax rectitudinis, quod temerariæ audaciæ expers: ex eo autem obliquior, quòd aliquantùm generoſiore, imo prudentiore magnanimitate deſtitutus,

nem-

nempe iam ſolo Ducis non Regis titulo contentus, ut magis Regni calamitates adunaret, Regnum integrum in quinque Filios diviſit, circa Annum 1140. Vladiſlao natu maximo ſummam rei commiſit cum Cracovienſi, Siradienſi, Łenczycienſi, Territorio, ſuperaddito Ducatu Sileſiæ. Boleſlao Criſpo Kujaviam, Culmenſem, ac Dobrzynènſem, tractum: Mieczyſlao Gneſnenſem, Poſnanienſem, Caliſſienſem cum Pomerania: Henrico Sandomirienſẽ ac Lublinenſem ditionem attribuit: Caſimiro autẽ Infanti prorsùs nihil contulit, non abſq; myſterio, ænigmaticis prædictionibus involuto. Quemadmodum enim Cygnus Cantator funeris ipſe ſui creditur, ſic longè veriùs moribundi præſaga fundunt Oracula.

Vicina longiſſimæ nocti humana mortalitas, dum incipit palpebras claudere; videt acutiùs poſthumas rerum revolutiones. Tali ſciſſione per Crivouſtum diſmembratum in obliquas partes Corpus Reipublicæ, diſtortiſſimam faciem Orbi exhibuit, cùm quiſq; Jure proprio adminiſtraret Provincias, privatæ potiùs quàm publicæ utilitati intentus. Tunc ipſum avitum ſtemma albæ Aquilæ fuligine oblivionis denigratum, antiquatum, ferèq; penitùs deletum videbatur. Omnibus his diſpartitis Principibus, neglectâ Regnatrice Alite, Majeſtatico Sigillo, ideſt Perſonam Solio inſidentem repræſentante utentibus, prout ex vetuſtiſſimis Diplomatibus comprobatur. Similiter exemplo Ducum inhærendo Partiales Pro-

vinciæ, particularia sibi adaptaverunt insignia, hactenus in stemmatibus Palatinatuum, atq; Terrarum spectanda. Quibusdā nihilominus ephemericis Patriæ Notarijs, præsertim *Paproccio* adstipulantibus placet, adhuc à Boleslao Chrobræo, diversitatem stemmatum Palatinatus accepisse, cùm eam nonnulli referant ad usq; duodecem Palatinos. Sit sua fides Authoribus. Certiùs est (teste *Bielscio*) sub Principibus Silesiæ; Aquilam albam, in nigras, flavas, rubicundas, diversicolores degenerâsse. Quis neget Regionum decora, volubili transmigrationi subjacere? quandoquidem mors etiam Regnis, Imperijsq; venit, scilicet Climacterica potentiæ & prosperitatis periodus. Quis miretur præterea, in tam deplorabili

sta-



SIGILLVM VETVSTISSIMVM MAIESTATICVM DVCVM ET REGVM POLONIÆ

ſtatu Lechiæ, ſub Vladiſlao ſputatore, Boleſlao Criſpo, Mieczyſlao ſene, Caſimiro Juſto, Leſcone albo, Boleſlao Pudico, Leſcone Nigro, ac Henrico Probo; Aquilam albam, nequaquam renovatâ Juventute, obſcuratam mortuali caligine, ejuſdemq; Ordinis extinctum plùs quàm per gemina ſæcula ſplendorem evanuiſſe? nemo utiq; reaccendit ignem, iam pridem pallidis inſepultum cineribus. Faciliùs fatiſcentia ædium faſtigia reparantur, quàm è ruderibus eriguntur collapſa. Si non eſt ſub ſole novum, annoſas arbores, poſt longa incrementa, intra unam horam extirpari; certè prodigij ſpeciem haberet eventus, ſi olim extirpatæ, ſubitò aſſurgendo vireſcerent.

CAPUT IV.

De Antiquo usu in Polonia Heroici Ordinis Aquilæ Albæ.

FRustra indignamur; veterem illam Paræmiam: *Serò sapiunt Phryges*, signanter in Polonicæ Nationis transijsse censuram. Gloriosiùs est aliquando saltem sapere; quàm semper desipere. Satis benè ibi error corrigitur; ubi advertitur. Postquam ergo Proceres Regni nostri, ab una parte in sumosis quidẽ à longævitate, sed præclaris ab invicta fortitudine Regum anteriorum indaginibus, tum rerum antea bello & pace à Prædecessoribus gestarum magnitudine defixerunt obtutum; ab alia verò deplorandam in plures Ducatus Reipublicæ distractionem, horren-

rente probra propria aspectu penetravêre; saniora (propitiato Numine) meditari Consilia, eaq; ad effectum deducere cæperunt. Visum est cunctis optimè sentientibus unum, ex multis Principibus caput, liberis suffragijs constituere, unicum videlicet Regnatorem, qui dismembrata Regni fragmenta colligeret, salutem ac pacem subditorum generali providentiâ procuraret, atq; à singulis coleretur. Quoties in firmamento Cæli duos aut plures Soles videmus, ementita ad solam apparentiam parælia fulgere arbitramur, vel portentum Cometis minacibus æquivalens obstupescimus. Solùm Solem, unamq; Lunam ordinariè minora sydera sequuntur. Monstrum erat (si non in fabuloso Pöetarum cerebro natum)

Hydra ſepticeps, inquilina lerneæ paludis; ideoq; citò perijt, diverſis capitibus, diverſa effugia quærentibus. Multi oculi faſtuoſi pavonis caudam illuminare videntur; nullus videt. Anno proinde reparatæ Salutis humanæ millesimo ducenteſimo nonageſimo quinto, die ſolis, vigeſimo ſexto Junij, Divorum Joannis & Pauli Martyrum anniverſaria feſtivitate clariùs illuſtrato, adoravit Lechicus Mundus, exorientem primæ magnitudinis Planetam, Sereniſſimum Premyſlaum ſecundum. Gratior is certè poſt nubila Phæbus poſt obliteratum nempè ab annis ducentisquindecim Regium Titulum, præter diſperſos quaquaverſum ſupremæ dignitatis radios, nativæ Indolis honeſtiſſimis moribus, ac ad auſus Heroicos inſuſæ pro-

propenſionis Luce Patriam ſerenavit. Conſervato per tanta temporum intervalla, ſub vigilantiſſima Virorum Eccleſiaſticorum cuſtodia diademate, unâ cum Conſorte Rixâ, Ritigero Sveciæ Rege prognatâ, à Jacobo Swinka Archipræſule, in Metropolitana Eccleſia Gneſnenſi, aſſiſtentibus Antiſtitibus, Prælatis, Palatinis, Baronibus, inter plaudentium populorum fauſtas apprecationes coronatus reſplenduit. Fuit ille Præmyſlai primi Ducis Poſnanienſis poſthumus Filius, ex Eliſabetha Henrici pij Sileſitarum Principis Filia genitus: Vladiſlai Sputatoris, Chriſtinæ (quam Henricus quintus Imperator procreaverat) Mariti Nepos: Mieczyſlai ſenis, Matrimonio copulati cum Gertrude Filia Geizæ Hungarorum

 ter-

tertij Regis, Pronepos: Boleslai Crivousti Abnepos, Vladislai Hermanni Trinepos: Vir acerrimus, & ad ardua quælibet gerenda peridoneus. Accessione plurimarum Provinciarum, successivo Jure ad se devolutarum; utpote Marchionatu Brandeburgico; Pomeraniâ, Cracoviensi, ac Sandomiriensi Regionibus, in unius Reipublicæ Corpus coagmentatis, consequenter validissimis opibus auctus; in id maximo conatu incumbebat; quatenùs vetera Insignia, splendoremq; Regno de integro restitueret. Quapropter ante omnia Sigillo magno, ex una parte effigiem Aquilæ albescentis, ex altera suam Iconem Majestaticam, scilicet Regem in Throno considentem insculpi mandaverat. Alludens ad reassumptionem an-

antiqui stemmatis, talis circa Aquilam legebatur Epigraphe.

Reddidit ipse suis victricia signa Polonis.

Jam verò in circuitu Regalis Imaginis, exarati visebantur characteres: *Sigillum Præmyslai Regis, Ducis Pomeraniæ.* Non sine solido igitur fundamento, observatâ similium simulacrorum expressione in Vexillis, numismatibus atq; nummis monetarijs, quidam Historici; Præmyslaum secundum, Ordinis Polonici Aquilæ candidæ Reassumptorem, imò primarium Inventorem indigitant. Ipse enim verò, adversùs Litvanos tunc Ethnicos ad usq; Lanciciam hostili excursione sævientes, instar Aquiliferæ Romanorum Cohortis, cæteras æstimatione præcellentis cataphractam quandam Phalangem mili-

litum Torquatorum, dependente ſuper pectora Aquilæ albæ ſimulacro munitorum, inſtituiſſe perhibetur. Durat etiamnum iſtius militiæ genus, ſub nomine Huſſarorum, ex lectiſſima nobilitate conflatum, principale robur exercituum, nec non uberrimũ Dignitariorũ Regni Seminarium. Hoſpes certè in Domo propria, ac in faſtis Patrijs eſſet Peregrinus, qui ignoraret, quanta tunc Littavicorum, Theutonicorumq; Bellorum incendia, livore malevolentiæ vicinæ, identidem è doloſis induciarum cineribus eventilata, per intima Reipublicæ Polonæ viſcera graſſarentur, ac florentiſſimarum Provinciarum, Civitatum, Municipiorum, medullas abſumerent. Quare nec licet ambigere; tùm ad extingvendas deſolatoriorum Car-



PREMISLAVS II. REX POLONIÆ DVX POMERANIÆ ORDINIS AQVILÆ ALBÆ INVENTOR EX ANTIQVISSIMO PROTOTYPO DELINEATVS.

Carbonum vaſtationes, tum ad memoriam reſtitutorum decorum, nec non terſioris Civitatis moribus expoliti Regni, magnanimum Præmyſlaum prænominato invento Civium ſuorum animos ferè langventes erexiſſe. Creviſſet in immenſum, quotidie grandeſcens Regij Nominis magnitudo, niſi edaciſſima conterminarum Gentium invidia, atroci dente eam præcidiſſet, atq; citatiſſimum Gloriæ curſum præcoci fato abrupiſſet. Sic magnis Numina rebus creſcendi poſuêre modum: Inter Solium & Sarcophagum, ſceptrum & ligonem, viciſſitudo humanæ ſortis modicam reliquit diſtantiam. A ſummis in ima, tanquam ex monte in convallem præcipiti lapſu ruimus. Tali præcipitio ſuccubuit celeberrimus Prin-

ceps Premyslaus; cùm Domi amorem omnium ob prosperrimum Dominatum adeptus; foris multorum odia, propter nimiam potentiam incurrisset. Ab Othone siquidem Lango, alioq; ejusdem nominis, à Joanne præterea, Marchionibus Brandeburgensibus, Conradi Filijs, suis autem ex Constantia sorore Nepotibus, suggerente sangvinaria consilia Venceslao Rege Bohemiæ, ad Rogoznum oppidum, crudeliter octavo Regiminis mense trucidatus occubuit. Incidit grandis victimæ cædes, in diem Divæ Dorotheæ Virginis & Martyris, non Hibernarum Rosarum innocuo murice, sed cruore notandum, trigesimo octavo ætatis Anno; jam quidem florem Rosarum excesserat; nec dum tamen attigerat maturam caniti-
em

em liliorum. Tumulatus in Paterno sepulchro Posnaniæ, cum lampade mortuali Regnum tradidit in manus Venceslai Bohemi, ac Vladislai Loctici per divisa suffragia electi. Unica ejus Filia Rixa, tunc decennis memorato Venceslao tandem ad Poloniæ thronum sublimato, connubiali fædere copulata, palmare mortalibus exhibuit documentum: Carissima Parentum pignora, unâ cum partis copioso sudore laureis, collectis opibus, emeritis honoribus sæpenumero capitalibus in spolium cædere inimicis. Frequenter admirabili casuum interveniente Catastrophe, hic pretium sceleris laqueum tulit, ille Coronam. Aulici Præmyslai Regis, de Armis Zaręba & Nałęcz, nefandi siccariatûs complices, in pænam *Herburt.*

per-

perfidiæ, cum integris familijs privati sunt nobilitari præeminentiâ, prohibito insuper usu coloris rubei tam in Sigillis, quàm in amictu, satis nimirum à profuso sangvine Herili rubescentes. Verùm tamen fideliores Regibus ac Patriæ Prosapiarum istarum Successores, laudabiliter à Majoribus degenerando. ContractamOriginalem labem,eliquato galeatarumoneribusfrontium stillicidio, vulnerumq; profluvio diluerunt, & pristino honori sunt restituti, dum Casimiro magno strenuam in prælijs contra Rùssos operam navarent. Fallit videlicet non semel, si generaliter sumatur Vatis effatum: *ætas Parentum tulit nos nequiores, mox daturos Progeniem vitiosiorem.* Sæpe errata progenitorum emendant nati,neq; more pecu-

dum,

dum, eorum qui præivère insistunt vestigijs, sed per virtutis rectos tramites, eunt quâ eundum est. Interea non desunt Scriptores firmiter asseverantes, supplicio adeo infausti interitûs, ideo affectum fuisse Præmyslaum; quia primam Uxorem Laugardam, seu Ludgerdem Brandeburgicam, utiq;inculpabili sterilitatis vitio obnoxiam violentâ clandestinæ suffocationis morte; è vivis tolli mandaverat. Etiam coccineo byssinovè pallio cooperta crimina diu latere nequeunt. Differt ictum vindicis gladij, non aufert justa Nemesis. Lentiùs intentat plagam Regijs cervicibus, ut potentiùs feriat. Occultatas iniquitates exitus vitæ manifestat. Huic Regi,Guagnini manus tale expressit Elogium.

Ob

Ob ſcelus audacis, raptum diadema Polonis,
Rettulit iſtius gloria, luxq; Viri.
Magnus erat, tantum peperit qui primus honorem
Nobis: magnus & hic qui revocavit, erat
Splendidus antiquis certans Heroibus omni
Virtute, in ſummo quam decet eſſe viro.
Cæditur inſidijs, celebrans ſolenne Liici;
Invidiam virtus dat ſibi & illa necem.
Et cautè, & timidè genio ſervite potentes:
Exitio multis lux genialis erat.
Hac Cyrus interijt, Macedo interijtq; Philippus,
Hac eſt Argolicis, Troja cremata rogis.

CA-

CAPUT V.

De Reinſtitutione Ordinis Polonici Aquilæ Candidæ.

POſt præmatura actragica fata Præmyſlai ſecundi, lis erat ſeu controverſia de legitimitate ſucceſſionis, inter illius Generũ Venceſlaum Regem Bohemiæ, atq; Vladiſlaum Cubitalem, aliàs Lo-cticum. Verùm Parcarum forfices, præciſo alterutri vitæ filo, ſatis citò litem diremerunt, poſtquam intra paucos annos, vix in Polonia viſus, multis nihilominus inviſus Venceſlaus, Pragæ in Bohemia ultimum claudendo diem, pacatiorem viam, quia competitore vacuam, ad deſtinatum Thronum Vladiſlao aperuit. Fuit hic Ducis Kujavienſis & Lencicienſis Filius, ex Gertrude Du-

ciſ-

cisſâ Vratiſlavienſi genitus, Conradi Ducis Maſoviæ Nepos, Caſimiri ſecundi, Fratre germano Mieczyſlao ſene gloriantis Pronepos, Vladiſlai Hermanni Trinepos. Nuncupationem Loctici à puſilla ſtatura ſortitus, tàm nominis, quàm parvæ molis menſuram, giganteâ famâ ſuperavit. Cum valido antagoniſta, paulo ſuperiùs memorato Venceſlao Bohemo, de Regni ſumma dimicans, gravibus inſuper bellorũ inſultibus, circa Annum milleſimum trecenteſimum vigeſimũ, à Crucigeris, Litvanis Gentilibus ac Tartaris vexatus, ad ſuorum finium tuitionem, colligatarumq; in perniciem Regni potentiarum diſſolutionem, collapſum Aquiliferum Ordinem reſtabilivit, imò ejuſdem Author eſſe voluit. Verùm nimis

mis



mio Litvanorum robore frequenter, oppreſſus, efficaciora pacificandi Regni media, ſalubri Conſilio adinvenit, determinato Matrimonio Filij Caſimiri, cum Aldona Gedimini Magni Ducis Litvaniæ Filia. Pronuba nimirùm Juno tædis nuptialibus vaſtatrices Bellonæ faces obſcurat vel extingvit. Cedit Hymenæo Gradivus, & conticeſcunt præliares Litui, epithalamico reſonante modulamine. Non gravatè Gediminus Legatorum poſtulatis annuit, initaq; cum Rege ac Regno Poloniæ Societate, expedivit extemplò Sponſam, numeroſis, diverſæ conditionis, ſexûs & ætatis captivorum catervis quaſi dotalibus comitatam. Ingreſſa triumphaliter Metropolitanam, Regni Civitatē Cracoviam, ante omnia

fundamentalibus Christianæ Religionis principijs, à Nankero Episcopo Cracoviensi erudito, tandem Sacro Baptismatis Lavacro initiata, Annæ nomen assumpsit, rituq; solenni cessit in Coniugem Casimiro, sextùm decimum ætatis annum agenti, Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quinto. Extunc Polonia superioribus bellis magna sui parte desolata, squalida, & inculta, populosior atq; cultior apparere cæpit, deductis quaquaversum in colonias agricolis, è captivitate liberatis. Tam desideratus eventus, cùm perenni memoria consignari posteritati meruisset; Vladislaus Rex prædictum Ordinem, ad limitum Patriorum defensionem antea institutum; jam in signum stabiliti fæderis, sive socialis amicitiæ cum

cum Gente reconciliata, eundem inauguravit. Id ipsum expressiùs denotare intendit, per symbolum æternitatis, sphæram scilicet circularem, quam Aquila stringebat unguibus, non sine certo præsagio, secuturæ quondam, Polonam inter & Litvanam Nationem perpetuæ unionis. Inaugurationem Aquilini Ordinis, ejusq; circumstantias præfatas clarè explanavit Morerius, folio 100. Dictionarij Historici his verbis: *Ordo Militaris in Polonia Aquilæ albæ fuit institutus per Regem Vladislaum Loktik nuncupatum sub festo Nuptiarum Filij sui Casimiri Magni, cum Anna Ducissa Litvaniæ circa Annum 1325. Nidus Aquilarum inventus olim per primos Reges Poloniæ, circa fundationem Civitatis Gnesnensis, dedit occa-* Morerius

 si-

ſionem ad aſſumendam Aquilam pro Schemate Ordinis; cujus Torques aureus geſtabat Alitem coronatam albam à Collo Equitis pendentem. Hucusq; verba Morerij quibus immorari non vacat, quandoquidem conformia aliorum Faſtilogorum ſuppetunt teſtimonia. Quidam aſſerunt eundem Torquem, parvis Aquilarum ſimulacris interpolatum fuiſſe, à quo tamen una à cæteris major prominebat. Conſonat narrationi Morerianæ celeberrimus ævi ſui temporum ſupputator *Cromerus,* in antiquo manuſcripto ſuo, tum Vallemontius in Elementis Hiſtoriæ univerſalis, ad Annum ſupra citatum alijs Ordinibus Militaribus, etiam hunc accenſet. *Ordo* (ait) *Equitum Aquilæ albæ inſtitutus per Vladiſlaum Regem Poloniæ ſub ſolen-*

lennia connubij Filij ſui cum Anna Gediminea Duciſſa Litvaniæ. Rex Poloniæ Supremus fuit Magiſter. Minimè diſcrepat ab Aſſertoribus ejuſdem veritatis *Cavelier* Scriptor recentiſſimus; dum de reaſſumpto iterum illo Ordine per Sereniſſimum ac Potentiſſimum Regem Auguſtum Secundum ita diſſerit. *Poteſt hæc Inſtitutio cenſeri pro reaſſumptione antiqui Ordinis in Polonia Aquilæ albæ, inaugurati per Vladiſlaum Lo-ćticum Anno* 1325. *connubiorum tempore Filij ſui Caſimiri magni, cum Anna Ducisſa Litvaniæ, Gedimini Principis Idololatræ Filia, ad teſtificandum gaudium totius Regni, ex converſione ad Fidem tantæ Principis. Rex Poloniæ magnus Magiſter* Ordinis *fuit. Equites portabant Torquem aureum, cum pendente ad pe-*

ctus. Aquila coronatâ albâ, Obligabantur Religionem & Patriam defendere. Spennerus autem in opere Heraldico inquit. *Ordo Aquilæ albæ in Polonia attribuitur Vladislao Loctico, Anno 1325. & honori Nuptiali Filij Casimiri, cùm Gedimini Litvani Filiam duceret. Torques triplex, Aquilam argenteam coronatam suspensam duplici catenulâ sustinebat.* Accedit prioribus luculentus testis *Schonebekkius* in Historia de Ordinibus, hoc solùm superaddito, per modum omissæ ab aliis circumstantiæ; quòd præter pendulam Aquilæ albæ effigiem è collari aureo, cærulei Paludamenti amictũ appingat Equitibus, in quo itidem pallio, candicans ales acu picta conspiciebatur. Deniq; superfluum est fluminibus undas

das affundere, nempe sat multis, plures agglomerare Scriptores; ubi nullus contra unanimiter sentientium torrentem niti audet. Notandum porrò obiter, antequam sequenti capite tractetur ex professo: non tantùm eum Ordinem, de quo sermocinamur; verùm etiam quoscunq; alios præsertim in Polonia, commune nomen: *Balthei Militaris*, antiquitùs præsetulisse vel ideo; quia nonnisi viris Militaribus heroicâ virtute præcellentibus, potissimùm tribuebatur. Credebat oculata vetustas: vocabulum inane, esse crimen immane, aut magni Nominis, aut morum debere mutari harmoniam. Jocus pariter imò sibilus vulgi fieret is meritò; cuius ad privatorum larium focos educati imbelle pectus, bellatorum præmiatrix

trix vitta præcingeret. Interea fortè avidus veteranæ Eruditionis Lector, desidararet certa imbui notitiâ: quibusnam illa ætate haud contemnenda sors obtigit; Torquatos inter Equites primatum capessere? quænã erant primulæ Veris, duarum recenter fæderatarum Gentium amænitate renidentis? quosnam Ordo noster habuerit veluti Patriarchas? hæ quæstiones, quamvis utilissimæ, alto pridem solutæ sunt silentio. Ruditas quidem sæculi, loco pennarum armata bipennibus, stylo contenta ferreo, literarium aut contempsit, aut illo uti nescivit; quæq; calamis imprimenda forent, Ensibus expunxit è fastis. Majores nostri cùm scribenda agerent; scribere neglexerunt. Unum adhuc nihilominùs memorabi-

lem actũ Vladislai Loctici scripto propagatum accepimus. Ille videlicet primus, transportatis Gnesnâ Coronarijs Regum ornamentis Cracoviam; ibidem cum Uxore Hedvige intronisari præelegit, Festa luce Divi Sebastiani Martyris, An: millesimo trecentesimo sexto decimo. Abhinc Urbs illa Craci Authoritate plasmata, supra primitivum Lechiæ Nidulum sublimem extulit verticem, magnificam appellationem Metropoleos Regni adepta, quo nomine eam superiùs præmaturè honoravimus. Ex hoc pariter tempore stabilis consvetudo inaugurandi Equites (de quibus postea) intra Cracoviensia mænia invaluit. Tandem Cubitalis Princeps, postquam gestorum eminentia, non unum ad humilem staturam gloriæ cu-

bitum addidiſſet, illud ſuperaddidit actis triumphalibus; quòd palmarem egit animam, Anno Domini milleſimo trecenteſimo trigeſimo tertio, die Cataphracti Equitis Divi Georgij; quaſi Equeſtris Ordinis Fundator, talem prædicem ad æternitatis Olympia habere meruerit. Illatus ſepulchro veteri formâ extructo; ad hanc uſq; ætatem ſpectabili Cracoviæ, in Cathedrali Eccleſia. Creditur à quibuſdam Polonicum Ordinem innovâſſe, laudabili æmulatione ſtimulante, quia minimè ignoravit ſimilem floruiſſe apud Bohemos, albâ Aquilâ Inſignitum. Czechus nimirum Conditor Regni Bohemiæ, germanus Lechi Frater, pro documento, non ſolùm tam propinqui ſanguinis, ſed & Gentium ſimul natarum,

parem Fraterno Militarem Cætum erexiſſe putatur. Quanquam verò conformiùs eſt Venceſlaum Loctici æmulum, contubernij iſtius Anteſignanum extitiſſe in Bohemia; qui ut Socerum ſuum Præmyſlaum ſecundum reſtauratorem Sarmatici Ordinis imitaretur, erectione alterius in Regno hæreditario memoriam præcelſæ affinitatis fovere cupiebat, unà cum prætenſione ad Coronâ Poloniæ, Succeſſoribus ſuis per hoc ipſum inſtillata. Quapropter Filius ejus etiam Venceſlaus, Vladiſlaum Locticum acerrimo bello perſequi, ac de poſſeſſione Throni ſubmovere decreverat, jamq; cum paratis robuſtiſſimi Exercitûs copijs tendens in Poloniam; ab ipſis Bohemis interemptus Olomucij, malè ſanæ ambitionis pœnas

luit, quando aliena quærendo, propriam vitam amisit; attamen Regis Poloniæ titulum ad extremum halitum pertinacissimè usurpavit. Quidquid demum sit; certum Bohemici Ordinis-Institutorem non designant Scriptores; paralelli duntaxat faciunt mentionem, inde in Austriam vicinam propagati sub Regula Sancti Basilij; ubi *Equitum disciplinæ* denominationem specialem accepit. Ratio Intitulationis fuit ista, quòd mores proprios ad rigidiorem omnimodæ honestatis normam componere, atq; directioni suæ commissorum Militum exorbitantem licentiam severioris disciplinæ fræno coercere confratres obligabantur. Meminit hujus Confraternitatis haud obscurus-è numero Chronographorum *Mennens*

dum sic loquitur ore calami: *Collare disciplinarum, est Aquila candida, tenebanturq; Equites defendere Religionem Catholicam, ac suo Principi & Patriæ esse fideles &c:* De quo fusiùs *Schonebekkius* sub nomine Aquilæ albæ. Ut autem ad Locticum, à quo digressi sumus, aliquantulum regrediamur; reliquit ille in solatium contristatæ obitu suo Patriæ unum Filium Casimirum Magnum, ac inter Filias Elisabetham Caroli Hangariæ Regis Consortem: ipse verò ex Pòëtica vena, non invitè sed spontè promanans, siticulosis cineribus utcunq; refrigerandis peridoneum obtinuit Enconium, ita à Gvagnino effusum in paginam.

Corpore parvus eram, cubito vix altior uno,

Sed tamen in parvo corpore magnus
eram.
Non ego Prussorumq; Bohemorumq; cruorem
Jactabo, cladem nec Gedimine tuam.
Fortunam vici, cum qua mihi bella fuerunt;
Ut niger è terra tristè volârat iter.
Ter cecidi Regno; per te Rhamnusia semper,
Post lapsum erexi majus ad Astra caput.
Corde viris opus est magno, non corpore; magnum
Qui stravit Goliam, nonne pusillus erat?
Ingentem parvus Polyphemum vicit Ulisses;
Sed tamen ille hominem; tam grave Numen ego.

CA-

CAPUT VI.

Ordo Aquilæ albæ, sub nomine Balthei Militaris nonnullis emeritis Viris confertur.

QUemadmodum hominum, ita nominum quoq; alternat Fortuna vices. Inter scientiarum Alumnos, parum valet quæstio de nomine: è conversò eruderantibus priscarum rerum origines non leve facessit negotium, cùm conveniant rebus nomina sæpe suis. Nomen itaq; bellicosorum Ordinum, quos nunc proprio idiomate, *Kawalerye* vel *Ordery* vocamus Poloni; minùs usitatum fuerat retroactis temporibus. Omnia honorifica Insignia; scilitet Cruces, Torques, Tæniæ, Numismata, hisq; similia cætera, præsertim in Regno nostro

ſtro Nobiliſſimis Equitibus conſerri ſolita, *Balthei Militaris* communi appellatione gaudebant. Id quod teſtatur ſupradictus *Joannes Lymnæus*, ſunt „ inquit Equitum aliæ Societates Eccle-„ſiaſticæ, ſeu Religioſæ (*di Croce*) „quas Galli *Religiones*, Hiſpani ferè *ha-„bitus* nuncupant, alterius generis Equi-„tum ſunt Societates iſtæ, Gallis *Ordi-„nes* Italis à Baltheo Equeſtri è Collo „geſtari ſolito (*di Collana*) dicuntur, „nobis Equites Torquati. Nullus tantæ dignitatis capax eſſe poterat, extra ſphæram trium Regni ſtatuum; Majeſtatis nimirùm, Senatûs, atq; Nobilitatis conſtitutus. Jam verò non aliter vernaculo ſermone, exprimere poſſumus phraſim iſtam: *Equitem creare*, niſi: *Paſować na Rycerſtwo*, ac ſi di-

diceretur: *præcingere in Militem ſive Equitem*, quandoquidem Sclavonicè *przepaſanie* vel *Pas*, apud Latinos Zonam, Baltheum ſignificat. Ideo autem Baltheo addebatur Epithetum Militaris; quia ejuſmodi dona, ſtrenuiſſimis tantùm bellatoribus, propter grandium meritorum præſtantiam, in Sago ac Toga comparatorum, præcipuè tamen, ob Heroicam quampiam actionem coronati remuneratores largiebantur; qua de cauſa, non quidem unigenâ (ſi credere fas eſt) Phænice rariora; rariſſima nihilominus in antiquioribus faſtis reperiuntur exempla talium inaugurationum. Velut nimia familiaritas; ſic addenſatâ pretioſiſſimarum rerum abundantiâ parit contemptum. Vileſcerent utiq; facilè inæſtimabiles Unio-

nes;

nes; si è quolibet obvio stagno legerentur. Augebat ergo populi admirationem, conciliabat admiratio reverentiam, quando lectissimi Heroum Primores, Militaribus Baltheis signabantur. Placet nunc obiter eorum Insignia pro cujusq; Nationis Genio excogitata delibare. Ordo in Hispania Balthei Militaris *de Banda* dictus, Gal-
Danet. lis *de la Bande* seu *de l' Escharpe* id est Fasciæ sericeæ, quâ Milites ab humero diagonaliter præcingi solent, famosissimus olim fuit, ut jam toties innuimus. *Equites Sancti Ursi* à Friderico Svevico Romanorum Imperatore creati, sub tempus investituræ, Torque cum numismate pendulo Ursum remonstrante, quasi Martiali Baltheo exornaban-
Schonebek. tur. Equitibus *Calcaris*, sive *stimuli* au-

aurei, à Constantino Magno (ut pluribus videtur) instituti, Baltheus aureus latus, id est Torques cum Cruce Octogona, Melitensem imitante imponeba- *Idem.*
tur, à qua Calcar aureum dependebat. *Equites Sanctæ MARIÆ de Carduo* in Gallia, nec non Draconis in Arragonia, Italia, Hungaria, & Germania quondam celeberrimos, *Baltheo* pariter aureo, nempe Torque cum Cruce insignitos fuisse ex eodem *Schonebekio* constat. Ita enim Sigismundi Imperatoris verba, sub installationem Basilij de Colalto in Equitatum Draconis ac stolæ, referuntur: *Te quem manu propria militiæ cingulo, & Societatis nostræ Draconiticæ ac stolæ, seu Amphrisiæ clarissimi Fratris nostri Regis Arragoniæ insignivimus &c.* Baltheus autem Mili-

 li-

litaris ſeu Cingulus, Torques erat aureus cum dependente Draconis inverſi icone, cunculcatam Huſſiticam hæreſim ſymboliſante. In Svecia (ut ſupra diximus) Ordo *Balthei Militaris & Gladij* geſtabat Torquem aureum, gladios aureos, Zonâ inter ſe coniunctos, & acie ſangvinolenta quaſi minitabundos repræſentantem. *Equites Sangvinis* CHRISTI, in Mantuanò Principatu circa admiſſionem ad gremium Ordinis, terno ictu gladij contacti à Principe, *Baltheum Militarem*, id eſt Torquem hucusq; ſolent accipere. De pluribus hujuſmodi ritibus videantur Authorum relationes. Hinc etiam noſter Polonicus Aquilæ albæ Torquatus Ordo, ejusq; diſtinctivæ notæ, ſub vocabulo *Balthei Militaris*, re-

regnante Caſimiro Magno, nec non Jagellone, memoriam ſui reliquerunt Herburt
„apud Herburtum. Anno deinde (in- fol: 220.
„quit ille) qui fuit poſt CHRISTUM
„Natum, milleſimus trecenteſimus qua-
„drageſimus quintus; Joannes Bohe-
„morum Rex, Polonis bellum intulit, &
„tanto quidem animi ardore; ut quam-
„vis ſenio laboribusq; confectus eſſet,
„ac alterum quoq; oculum jam ami-
„ſiſſet, tum deniq; ſe moriturum affir-
„maret; cùm Cracoviæ muros manu
„victrici palpaſſet. Sed fortunâ vo-
„tis ſuis non reſpondente, turpiter à
„noſtris fuſus, & in fugâ actus eſt. Palma
„rei tunc bene geſtæ, Prandotæ Gal-
„cæ, gente Odrowonzio data. Itaq;
„magnis præmijs & *Militari Baltheo* à
„Caſimiro ornatus eſt. Ergo procul

 du-

dubio, non unum hunc, verùm alios quoq; bellica dexteritate eminentes indigenas, tam Casimirus, quàm illius Antecessores, ad consimilem honorem elevare minimè neglexerunt. Abruptâ demùm Piasteæ Genealogiæ lineâ, in Casimiro magno; occupavit Solium Poloniæ Pannonica, Ludovicus nimirum Rex Hungariæ, ex germana Casimiri Sorore natus. Iste Sarmatico diademate vix redimitus, Anno millesimo trecentesimo septuagesimo primo; alliciente soli natalis dulcedine, recepit se in Hungariam, Matriq; Elisabethæ, inenarrabilium malorum fomiti, plenarium Regimen commisit. Transportatis insuper inaugurativis Monarcharum Insignibus in Pannoniam rarissimè, idq; fulguris instar compa-
ren-

rendo ac disparendo in Polonia, universa Regni decora pessumdedit. Inter tantas proinde calamitates, & luctuosa Orbis Poloni funera, etiam Heroicus ille sub nomine *Balthei Militaris* Ordo, consepultus toti Reipublicæ credebatur. Quanquam sub Vladislao Jagellone Ludovici Successore revixisse iterùm, toties tumulatus legitur, cùm Herburtus describens bellum cum Crucigeris, erumpat in fol: 282.
„ hæc verba: interim verò Lusacius qui-
„ dam Dipoldus Kiekiericius, Miles stre-
„ nuus, totum corpus armis tectus, ex
„ hostili acie procurrens, Regem, &
„ ipsum armis insignem infestâ hastâ
„ petere videbatur. In eum Rex vi-
„ cissim hastam direxerat: sed Zbigne-
„ us Olesnicius inermis, cum semifractâ
ha-

„hastâ præcurrens (ut vel suo pericu-
„lo Regium averteret) à latere vibra-
„tâ hastâ Dipoldum de equo dejecit,
„quem Regij satellites interfecêre. Præ-
„clarum & memorabile nobilis Ado-
„lescentis facinus, Rex postea magnis
„donis & Episcopatu Cracoviensi re-
„muneratus est, cùm ille Sacris initia-
„ri cogitans, *Baltheum Militarem* ab-
„nuisset. Hactenus Herburti narra-
tio.

CAPUT VII.

Colligitur Excellentia Ordinis Polonici ex eo, quòd Serenissimis Personis sit collatus, tituloque Equitum Aureorum ab Historicis Auctus.

SI cuipiam citra assentationis censuram dicere licuit: non ultima laus est Principibus placuisse Viris; multò magis absq; suspicione jactantiæ dicemus; immensum propè Ordini nostro accrevisse honorem, ideo, quia Serenissimis titulis conspicui Principes, maximam illius habuêre æstimationem. Etiam exiguarum rerum grande oritur pretium, dum grandes nanciscuntur æstimatores. Cessaret omnis nummariæ monetæ valor in acceptatione populorum; nisi genuina Regum facie nummi signarentur. Præstantissimum id esse debet, quod ad sui possessionem præstantissimorum competitorum acuit appetitum. Ita sub Sigismundo primo Casimiri Filio, Jagellonis Nepote, Ordo Polonicus à Mitratis Capitibus pulchro ambi-

bitu prenſari cæpit, atteſtante *Alexandro Gvagnino*, ubi primam Ducis Pruſſiæ inveſtituram, ac in Equitem elevationem tali deſcriptione explicat: "Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto, die octava Aprilis, Pruſſia, quam primùm Religioſi, Crucigeri videlicet tenuerunt, in mundanam Politiam, & Principatum ſæcularem ceſſit. Albertus enim Marchio Brandeburgenſis, in ordine trigeſimus quartus & ultimus Magiſter Crucigerorum, belli cum Rege Poloniæ pertæſus, difficileq; contra ſtimulum calcitrare videns; Regem ſibi per Internuntios Fratres & affines ſuos reconciliavit: Cracoviamq; veniens, juramentum ſolenniter Regi Poloniæ Sigiſmundo in Majeſtate Re- *fol. 113.*

gia ad id fabricata, in medio Foro Cracovienſi ſedenti, Regalibusq; induto præſtitit, præſentibus Principibus: ibiq; prædictum Albertum Marchionem Brandeburgenſem, poſt juramentum ſolenniter præſtitum, Sigiſmundus Rex, Principem ſæcularem, *Equitemq;* (ut vocant) *auratum* creavit." Haud abſimilem relationem repetunt *Salomon Neugebauer* atq; *Wapovius* in Poloniæ Hiſtoria, & quidem prior cum hac appendice; quòd intra cerimonias inveſtituræ; prænominati Ducis Collo Torquem aureum Sigiſmundi Sceptrigera dextera impoſuerit. In eandem ſententiam conſpirat ſæpe memoratus *Schonebek*, ſeriem hiſtoricâ Theutonicorum Equitum retexens, ubi de Alberto Duce ſic *Neugeb. fol: 508. Vap. f. 59.*

,, ſic ſcribit: Tunc temporis recepit
,, Rex Poloniæ jusjurandum, à Magno
,, Magiſtro genuflexo, ſuisq; Fratribus,
,, fidelitatis eumq; Ducem in Pruſſia
,, renuntiavit atq; de novo *Equitem cre-*
,, *avit*, impoſito Collo ipſius *Torque*
,, *aureo*, collatoq; ſtemmate Ducali Aqui-
,, læ. Oſtentat pariter Proſapia Tele-
phuſorum in Palatinatu Podoliæ no-
biliſſima, unum è ſuis Progenitoribus,
ob collectam bellicarum meſſem lau-
rearum, Torque aureo, cum characte-
riſtico Aquilini ſimulacri ſigno ab eo-
dem Rege præcinctum, quod inſtar
inæſtimabilis Cimelij, in Domeſtico-
rum decorum Gazophilacio poſteritas
diu aſſervabat. Neq; regnante Si-
giſmundo Auguſto Succeſſore legiti-
mo Patris, latuit ejuſdem Ordinis ve-
ſti-

ſtigium, Principum impreſſum calca-
neis. Nam citati proximè Gvagni-
ni, teſtis oculati, & Equitis protunc
inter plures alios nobiliſſimos Viros
creati, deſcribentis feudatariam Fri-
derici Alberti inveſtituram in Ducem
Pruſſiæ & in Equitem, ſucceſſivo poſt
Albertum Genitorem Ordine ad eun-
dem Ducatum devolutam; dignâ fide
pennâ hæc formalia exaravit. An-
no Domini milleſimo quingenteſimo "
ſexageſimo nono, menſe Julio, in Co- "
mitijs Regni Generalibus Lublini ce- "
lebratis, Albertus Fridericus Marchio "
Brandeburgenſis, Alberti Ducis Pruſ- "
ſiæ prædicti Filius, Patri in Principa- "
tu ſuccedens, juramentum Regi Polo- "
niæ præſtitit hoc modo: Decima no- "
na die Julij ampliſſimum ſuggeſtum "
M 3 (ſi-

„(ſive Majeſtas ut dicitur Regia) te-
„ctum ſericeis ſtragulis, tapetibusq; pre-
„tioſis, in Suburbio Lublinenſi ſum-
„ptuosè erigitur, ubi Rex ſeſſurus eſ-
„ſet. Concurſus fit ad forum immen-
„ſæ hominum multitudinis, opplentur
„viæ, omnesq; plateæ quacunq; in-
„ceſſus erat. Satagit pro ſe quiſq; vel
„ornatus ſplendido veſtitu, vel armis
„inſtructus apparere. Interim Maje-
„ſtas Regia ex Arce in thronum pro-
„ficiſcitur, cingitur ingenti & ſplendi-
„da Senatorum Procerumq; univerſi
„Regni corona, præcedentibus Princi-
„pibus Viris, ac omnis Ordinis Conſi-
„liarijs & Aulicis, vexillum pulcherri-
„mum & ampliſſimum album novo
„Duci de more cum Inſignijs donan-
„dum, Eraſmus Dębińſki, Cancellarij
Re-

Regni Filius præſerebat, poſtea Rex "
in Domum quandam ſuggeſtuj oppoſi- "
tam divertit, ibiq; ornatu Regali in- "
duitur, ſandalijs videlicet aureis, Dal- "
maticâ albâ, & Chlamyde ſive pluvia- "
li ex panno aureo, confecto, & Co- "
ronâ Regiâ aureâ gemmis lapidibusq; "
pretioſis concinnè affabreq; ornatâ; "
Chirothecas quoq; annulis gemmisq; "
ornatas manibus impoſuit. Induta "
Majeſtas Regia ornamentis Regalibus "
de illa domo in ſuggeſtum procedit, "
media inter Reverendiſſimos: Domi- "
num Jacobum Uchańſki Archiepiſco- "
pum Gneſnenſem Primatem Regni, "
ac Dominum Padniewſki Epiſcopum "
Cracovienſem. Præcedentibus & "
ſubſequentibus contiguè Primarijs Do- "
minis Conſiliarijs Spiritualibusquè. "
Gla-

„Gladium evaginatum ancipitem Do-
„minus Andreas Zborowſki Gladiator
„(ut dicitur) Regni præferebat; Po-
„mum aureum Cruce inſignitum Pe-
„trus Zborowſki, Palatinus Sendomi-
„rienſis, portabat, ſceptrum Staniſlaus
„Myſzkowſki Palatinus Cracovienſis
„anteferebat. Cùm itaq; Sacra Regia Ma-
„jeſtas in Solio ſedit; quatuor Germa-
„ni Proceres Pruſſiæ, nomine Ducis
„ſui ſupplices venerunt, & genibus fle-
„xis, unus eorum orationem facundo
„lepore ad Sacram Regiam Majeſtatem
„recitavit. Oratione finitâ, Regia
„Majeſtas quatuor Conſiliarios ſuos
„cum illis quatuor germanis ad Ducem
„Pruſſiæ accerſendum miſit. Veni-
„ens itaq; Illuſtriſſimus Princeps Alber-
„tus Fridericus diſertiſſimâ facundiâ
ora-

orationem fecit ad Sacram Regiam "
Majeſtatem: Singularem fidem, ſup- "
plicitatem, & ſubjectionem teſtantem, "
reſponſum eſt poſtea Principi Conſi- "
liarijsq; ejus Latinis verbis nomine "
Regis: Sacram Regiam Majeſtatem, "
tam ipſum Principem, quàm omnes "
ſubditos & Optimates ejus omni favo- "
re & gratiâ complecti, defendereq; "
velle. His finitis acceſſit Princeps "
ad Solium, & pedes Regios genuflexus "
cum ſumma reverentia acceſſit, acce- "
pitq; de Sacræ Regiæ Majeſtatis mani- "
bus Vexillum album, inſignitũ Aquilâ "
nigrâ, cum literis S. & A. colligatis in "
pectore, cum Inſtitutione ore Regio "
facta his verbis: Nos Sigiſmundus "
Auguſtus Rex, annuentes Veſtris & "
Veſtrorum ſubditorum precibus, tra- "

di-

„ dimus & concedimus Illuſtritati tuæ,
„ prout Parenti tuo Illuſtriſſimo tradi-
„ deramus in feudum, terras, Civitates,
„ oppida, & arces in Pruſſia, & ad eas
„ Illuſtritatem tuam inveſtimus per hu-
„ ius Vexilli traditionem ac inſtituimus,
„ gratiâ & benignitate noſtra, quâ Illu-
„ ſtritatem tuã uti Nepotẽ noſtrũ cariſ-
„ ſimũ complectimur, ſperamusq; quòd
„ ejus beneficentiæ noſtræ & memor
„ & grata fidelisq; Illuſtritas tua ſit
„ futura. Deinde Princeps Pruſſiæ
„ caudam vexilli tenens ſuper libro
„ Evangeliorum in hæc verba Juramen-
„ tum præſtitit. Ego Albertus Fride-
„ ricus Marchio Brandeburgenſis in
„ Pruſſia, Stetinenſis, Pomeraniæ, Sla-
„ vorum, Caſſubiorum Dux, Princeps
„ Rugiæ, & Burgrabius Norimbergen-

ſis, promitto & juro; quod Sereniſſi- "
mo Principi ac Domino, Domino Si- "
giſmundo Auguſto Regi Poloniæ in- "
victiſſimo, Magno Duci Litvaniæ Ruſ- "
ſiæq; ac omnium Terrarum Pruſſiæ "
Domino & Hæredi, ſicut meo natu- "
rali Hæreditarioq; Domino, & ejus "
Sacræ Majeſtatis Hæredibus, & Suc- "
ceſſoribus, Regibus, & Regno Polo- "
niæ ero fidelis & obſequens, ejusq; "
Majeſtatis ac Hæredum, & totius "
Regni Poloniæ bonum procurabo, & "
damnum præcavebo, ac omne id fa- "
ciam, quod ad fidelem Vaſallum feu- "
dalemq; pertinet: ita me DEUS adju- "
vet, & hoc Sanctum DEI Evangelium: "
Accepto hujuſmodi juramento Maje- "
ſtas Regia, gladium Ancipitem à Gla- "
diatore Regni, Domino Andrea Zbo- "

„ rowſki accepit; novumq́; Ducem ter
„ præcinxit inclinatum de more, di-
„ cens *Accingere gladio tuo ſuper ſe-*
„ *mur tuum potentiſſimè.* Poſtea ei *Tor-*
„ *quem aureum* Regio munere non in-
„ dignum impoſuit. Idem *Bielſcius* in
„ Chronico Polonico dilucidè aſſerit:
„ Celebratis Lublini Comitijs Anno mil-
„ leſimo quingenteſimo ſexageſimo no-
„ no, decima nona Junij; Albertus Fri-
„ dericus Marchio Brandeburgicus Se-
„ cundus Dux in Pruſſia, Juramentum
„ homagij, Regi Auguſto in throno ſe-
„ denti explevit. Ubi eundem & ali-
„ os plures, illo præſente, Rex Equites
creavit. *Chwalkowſcius* quoq́; in
Hiſtoria Pruſſiæ, Lechico Idiomate
concinnata; non ſolùm Alberti Ducis
meminit promotionem ad præeminen-

tiam Equitis, eumq́; levi ictu gladij in-
ter ſcapulas à Rege pulſatum, nec non
aureo Torque donatum fuiſſe refert;
verùm etiam cæteros haud paucos, quà
Polonos, quà Exoticos Proceres, ſimi-
liter tunc inveſtitos, ac pari præroga-
tiva cohoneſtatos affirmat. Certè Al-
bertus Fridericus, ex Regio Polonorum
Sangvine oriundus Princeps, non al-
terius cujuſpiam Ordinis Torque &
Inſignibus, niſi antiquiſſimi Polo-
nici condecorari poterat. Siqui-
dem clarê liquet, hunc unicum Ordi-
nem olim in Regno radiaſſe: ſoliq; Re-
ges Poloniæ, eum conferendi jus &
poteſtatem ſibi vendicant. Minimè
inæqualem præ citatis, Glorioſiſſimus
Stephanus Rex Familiæ Sapiehanæ fa-
vorem præſtitit; quando Andream I.

ejus Nominis Sapieha, Ducissæ primùm Czartoryscyæ, deinde Dembińsciæ Castellani Cracoviensis ex Filio Neptis Maritum, in computum Torquatorum Equitum adlegit. Meruerat ille tantam gratiam memorandâ in ævum Victoriâ; cùm ad Vendam in Livonia, parvâ manu Commilitonum stipatus, viginti quatuor millia Moschorum ad internecionem delevisset, & Castris integris, validum hostem exuisset. Eum itaq; æquissimus meritorum Ponderator, imò vi ipsius nominis Coronator Stephanus, Torque aureo, cum pendulo Insigni Regni regalisatum, Senatoriis deinde Curulibus, Vendensis, Polocensis, ac demum Smolenscensis Palatinatûs admovit, additis insuper, cum Ducali Exercituum Magni Ducatûs Li-

tva-

tvaniæ clavâ; Rzeczycensi & Rumborscensi Capitaneatibus. Ut autem liquidius innotescat; Sigismundum Augustum, ex affectu specialissimo contulisse Friderico Alberto, tanquam proximo Nepoti suo, Equestria ornamenta, sine ulla ambiguitate credi debet; quòd auctoramenta Equitum à solo Regum beneplacito, atq; gratia fermè gratis data dependebant. Sigismundus etenim hujus nominis tertius Rex Poloniæ, quanquam publicè, & solenni ritu, seu exquisitâ pompâ recipiebat homagium Joannis Sigismundi Brandeburgici in Ducatum Prussiæ; nequaquam tamen eum ad præeminentiam Equitis evexit, nec alium quemquam dignatus est isto honore, prout Author Juris Prussici " Ducatûs clarè refert, nullam Equitum "

tunc

tunc à Rege promotionem factam " fuisse. Interea cuilibet seriò indaganti causam, cur Poloniarum Reges recentiores, nec ipsi repetita toties Patriæ Ordinis Insignia gestaverint, nec alijs gestanda obtulerint? meo quidem judicio non alia occurret ratio; nisi quòd singuli fere Peregrinis, nempe extra Patriam natis Ordinibus incorporati fuerint. Ducendo enim principium à Casimiro Jagellonida, Equite SanctiGeorgij seu Periscelidis, (qui Ordo in Anglia viget) Filio quoq; ejus Sigismundo Primo, ac Nepoti Sigismundo Augusto tùm Henrico & Stephano Succedanei quatuor in Ordinem aurei velleris cooptati erant; utpote Sigismundus tertius, Vladislaus quartus, Joannes Casimirus, Mi-

Morerius in supplemento Holandico sub Ordine Periscellidis.

Michàël primus. Neq; admiratione dignum videtur; quòd exotica procurando, Domestica decora neglexerunt, imò tales cum exteris Principibus captando Societates, pacatiorem proprij Regni malaciam, procellosis turbinibus haud semel involverunt. Sic Zebrzydoviana Confœderatio, devinctam simili nexu alienigenarum amicitiam, Sigismundo tertio mordaciter objiciebat; à quali objectione Vladislaus quartus, & Joannes Casimirus non erant immunes. Michàëli Regi pariter acceptatum insciâ Republicâ vellus aureum aculeatè exprobravit Prazmovius Primas, in Senatûs Consilio. Haud mitiori censuræ Joannem tertium exposuerat Ordo Gallicus Sancti Spiritûs eidem à Rege Franciæ collatus. Exoti-

ca nimirum hujuſmodi Inſignia, Reges Poloniæ in ſuſpicionem privatæ cointelligentiæ apud ſubditos conijciunt, Gentemq; nativarum libertatum tenaciſſimam, externis potentijs facere ſolent obnoxiam. Multò ergo meliùs & conducibiliùs ad fovendam mutuam Confidentiam Statuum fuiſſet; propriũ Ordinem antiquiſſimum, nulli peregrino gloriæ ſplendore cedentem retinere; quàm adventitios peregrè conducere, non ſine gravi iactura inter populos debiti Principibus amoris, imò Regni ipſius convulſione. Res eſt ſollicitì plena timoris amor: quàm primùm ad extraneos propendere deprehenditur; in zelotypiam degenerat. Quanquam oculata Sigiſmundi tertij providentia, ſub extrema ſui Regiminis tempora, hos

Criticos nævos deterſiſſe videtur, depuratamq; erga ſe ſubjectarum Gentium dilectionem Vladiſlao Filio, tradidiſſe; per inſtauratam Domeſtici Ordinis refloreſcentiam. In Imagine enim Alberti Radivilij Cancellarij Magni Ducatûs Litvaniæ, Białæ aſſervata, & in effigie Caſimiri Leonis Sapieha ejuſdem Ducatûs poſtea Procancellarij, in Arce Codnenſi repoſita, hodie dùm cernitur exornans utriusq; tunc viventis pectora Torques aureus, ſuſtentans dependentem Aquilam candidam, cujus ungvibus inhæret circulus auro ſimiliter coruſcus, ex alia duplici catenulâ pendulus. Stimulabantur (quantum aſſequi licet Myſteria) tali ſymbolico ornamento Equites; ad æternitate (circulo hieroglificata) dignas,

pro Patria & Rege, actiones, tum ad mores consequendæ saluti æternæ consentaneos. Quid prodest aliàs, totius vitæ spatio militare vanitati; nec momentum unicum transcribere beatæ perennitati? magna pars ævi (inquit Stoicus) deperit nihil agentibus; major malè agentibus: maxima aliud agentibus; nempe aliud agimus, quàm agendum est; dum in stadio mortalitatis, ad sphæram felicis immortalitatis nequaquam collineamus. Interim originaria Ordinis nostri antiquitas novo quoq; documento solidè probari potest, quòd scilicet retrolapsorum temporum coætanei omnes Proceres, Maioresq; Officiales, quos nunc Statûs Ministros vocamus; Torques aureos in pectore vel diagonaliter ad latus dependen-

dentes gestaverint, palàm id exhibentibus, vetustissimis illorum simulacris seu Imaginibus. Quin-imò etiamnum Cancellarij aut Procancellarij Ecclesiastico charactere signati; quamdiu carent Episcopali dignitate; ijsdem Torquibus præcingi non dedignantur. Inter cætera memini me audivisse ab Illustrissimo Duce Casimiro Czartoryski, hodierno Castellano Vilnensi, ut authoritate Personæ firmatam, sic nulli dubietati obnoxiam narrationem. Retulit ille, in Arce veteri Varsaviensi, certum se vidisse Codicem, ex residuis voluminibus Bibliothecæ ultimorum Ducum Masoviæ, de Regali Piastea stirpe procedentium, ubi prælo expressum erat stemma eorundem, Torque aureo affabrè elaborato circum-

datum, à quo dependebat *Aquilæ* albæ ſimulacrum. Adjecit inſuper hanc ſuam relationem, Sereniſſimo Auguſto Secundo, modò proſperè Regnanti, ad eundem Ordinem reſuſcitandum efficax incentivum addidiſſe. Conſultò deniq; conglobatam exemplorum pluralitatem adduximus; quatenus antiquitas atq; excellentia inclyti Ordinis noſtri evidentiùs Orbi innoteſcat. Magis utiq; ad conciliandam Fidei humanæ certitudinem movemur exemplis, quàm verbis.

CAPUT VIII.

De Equitibus, die Coronationem immediatè ſequente, à Regibus Poloniarum in Foro Cracovienſi creari ſolitis.

GEneralis conſvetudo, quaſi jure Gen-

Gentium ſtabilita, viro legalis cerimoniæ obtinuit; ut Principes præcipuè per libera Electorum ſuffragia ad Solium evecti, intra ſolennes ritus ſuæ coronationis auctoramenta Equitum inſtituant. Sic Romani Imperatores, ſi Aquisgrani coronentur; poſt peractam Introniſationis Pompam, reaſſumptis Imperialibus veſtimentis, ſeſſoriam curulem occupant, ibiq; terno Caroli Magni gladij tactu plures Equites auratos ex Comitibus & Baronibus Romani Imperij ſelectos creant. Reges Hungariæ eundem obſervant morem, coronariæ feſtivitati ſuperaddendo Equitum Sancti Stephani inveſtitionem; Regibus quoq; Poloniæ, placuit ſimilem retinere conſvetudinem, aureatos nempe Equites præcin-

Heyſſ.

Cavelier.

„cingendi: quem ritum *Cromerus* in „libro de ſitu & populis Polonicis, te„nore ſequenti enarrat. Poſtridiè, „pompâ itidem ſolenni Rex corona„tus in Forum Urbis equo vehitur: Se„natoribus Equeſtribus præcedentibus; „Epiſcopis quidem ſequentibus, è qui„bus tres primores Senatores Sæcula„rés; pomum, ſceptrum, & ſtrictum „gladium proximè ei præferunt. Ibi „erectum eo tempore tabulatum ſubli„mè, cum ijs pedeſter conſcendit, & „in editiori Solio collocatur. Seden„tem Senatus paulò inferior circumſi„det, deinde aſſurgens ille, versùs qua„tuor mundi partes gladium vibrat, „rurſumq; reſidens, ejus contactu, ſi„ve leni ictu inter ſcapulas cujusq; *Equi„tes auratos creat:* hucusq; Cromeri atte-

ſtatio. Benè tamen ſvadeo obſervandum: inter prædictorum, & Balthei Militaris ſub Caſimiro M. etiam auratorum Equitum Claſſes magnam elucere diſtinctionem, imò differentiam. Nam quemadmodum alia eſt claritas Solis, alia Lunæ, alia ſtellarum, ita illi aurei Equites de quibus capite præcedente egimus, ab his qui nunc ſcribendi materiam ſubminiſtrant, ſunt planè non ſolùm antiquitate temporis, ſed & alijs circumſtantijs diverſiſſimi. Iſtis nimirùm plerùmq; Perſonis Plebeijs collata,, ac ſi Equeſtris prærogativa, remonſtrat quandam habilitatem, unâ cum eorum liberis, poſſidendi Bona Terreſtria communi Nobilium Regni Jure. Illi verò, non tantùm Illuſtriſſimis ſed etiam Sereniſſimis Ma-

 jo-

iorum Ceris irradiati (prout in capite proximo diximus) præter potestatem gestandi Insignia honorifica, nec ambiebant, neq; ullum novum Nobilitatis consequebantur splendorem; deinde recipiebantur in ordinem extra tempus coronationis, aliunde haud vulgaribus dignitatibus conspicui, cùm Equitibus creatis Cracoviæ solo tactu gladij è conditione Plebeija extractis, nec Torques ullus, nec calcaria, nec gladius, nec aliud insignè gestandum conferatur. Imò hæc ipsa concessio possidendi Bona hæreditaria, ad effectum deduci nequit, nisi per Constitutionem Generalium Comitiorum solidetur. Reperitur in volumine Legum folio 55. Approbatio similis Privilegij aurati Equitis sub *Anno* 1676. in hæc

verba; habendo recommendata meri- “
ta Serenissimis Antecessoribus Nostris, “
nec non Personæ Nostræ Regiæ præ- “
stita Joannis Casimiri Laurer, quem “
sub felicem coronationem Nostram “
Equitem auratum ex gratia Nostra “
fecimus; Privilegium ipsi à Nobis da- “
tum, & huic honori inserviens præ- “
senti lege approbamus. *Magis igi-* “
tur sunt tales, titulares, quàm reales Equites; Quilibet autem Regum aliquot Cives Cracovienses (quos olim Boleslaus Pudicus & alij Principes Poloniæ ob defensam strenuè Arcem Vavelli Jure Magdeburgico, certisq; Privilegijs & exemptionibus donaverant) aliosq; extraneos per Castrensia experimenta probatos Viros ad recommendationem Ducum Belli præfatis

tis benevolentiæ documentis dignatur, & non tam alicujus Ordinis eminentiâ, quàm habilitate possidendi Bona immobilia in Regno, simul cum Successoribus eorum condecorat. Diploma quod ejusmodi indulto ornatis Consi vel Bellonæ Alumnis antiquitùs tradebatur, non Sigillo Regni, sed particulari nempe Majestatico, Regem coronatum in Solio sedentem cum Pomo & Sceptro repræsentante muniebatur: At nunc Sigillum Regni vidi impressum simili diplomati, cujus exemplar pro contentanda Lectoris curiositate subnecto. Augustus Secundus DEI Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ Smolensciæ, Severiæ Czernichoviæq; Elector

ctor Saxoniæ. *Ad perpetuam rei memoriam*. Notum testatumq; facimus Universis & singulis tam præsentis quàm futuri ævi hominibus, quorum interest præsentium notitiam habituris. Augustæ Magnorum felicitati nihil magis convenire arbitramur; quàm ut viros optimè de Republica meritos singularibus favoribus, & liberalitate Regali prosequantur. Sic enim egregiorum Civium allecti animi, ad ingenua & præclara virtutum specimina accenduntur, dum promptum & indefessum ad fortia quæq; agenda gerunt studium. Sic & Regnantium firmari Thronum, & optimorum quorumq; generosam Indolem ire pronius ad ardua rectefactorum fastigia, tùm fortissimarum pro DEO & Patria actionum culmina necesse est.

est. Excelsus siquidem & ad sublimia quæq; natus animus ullis nescius circumscribi limitibus, avido immortalis insequendæ æstuans desiderio gloriæ, omni ad adeptionem Regnantium gratiæ contendit nisu; ut etiam per vitæ fortunarumq; ademptionem haud improspero illam assequi valeat passu. Cui unicè armatarum Phalangum incumbunt Myriades, mutuis exercitæ vulneribus incalescunt acies, acuti stringuntur acinaces, profusi sangvinis litantur amnes. Ac proinde postquam ad Regni gubernacula feliciter evecti & vocati Divinâ Providentiâ sumus; quod vel maximè amplitudinē nostram Regiam concernere possit spectando, censemus: ut benemeritos istius Patriæ Cives, de distributiva nostra provideamus

mus

mus Justitia. Quorum è numero cùm optimè sit cognitum Nobilis & spectabilis *Jacobi Gryn* in Nos, Serenissimosq; Antecessores Nostros benemerendi studium: qui ab ineunte ætate sua, postquam virtuti innutritus maturiorum cæpit sapere virtutum specimina, dulcedine libertatis in Regno liberrimo ijs sese Bellonæ addixit artibus, quarum peritiâ ad pulcherrimam ac inæstimabilem pervenire valeat libertatem. Quâ cùm frui pro virili allaboraret studio, variarum occasionum benemerendi, expeditionumq; Bellicarum obeundo seriem, sub Serenissimis Antecessoribus Nostris: Joanne Casimiro, Michaële primo, & Joanne tertio, sub quibus in plurimis occasionibus dexteritatem suam, & fortitudinem varijs expedi-

ti-

tionibus, tùm contra Rebelles Cosacos in Ukraina, tum contra Turcas & Tartaros in Podolia, in prælio Chotimensi, in expugnatione Pawołocz, ad Barum, in obsidione Zoravnensi, prout pariter in omnibus actionibus Bellicis, quæ successerunt in Hungaria ad Strigonium, & alibi post eliberationem Viennæ: ut non solùm condignè munere Capitanei in Exercitu ornatus fuerit; sed etiam apud Nos in eam considerationem venerit, ut in primordiis Regnandi, eundem liberali præmij concessione illustraremus, dum publicum Fori Cracoviensis; sequenti statim à Coronationis Nostræ die consedissemus Theatrum, ibidem benemeritis munificentiæ Nostræ aperuissemus thesaurum: Jure meritò supra nominatum

tum

tum Nobilem *Jacobum Gryn*, Capitaneum Exercitûs, partâ proprio labore virtute conspicuum, etiam Nobis, Maiestatiq; Nostræ Regiæ prompto obsequio addictum, Regalis munificentiæ favore cohonestandum esse duximus: prout die supra nominata decimâ sextâ mensis Septembris Anni præsentis, Regalibus induti, ad excipiendum à Magistratu dictæ Urbis Nostræ Cracoviensis ex more juramentum, in theatro publico ante Majestatis Nostræ Thronum procumbentem, trino gladij Nostri Regalis ictu, *Equitem auratum unà cum posteris de lumbis ejus descendentibus creavimus: Jureq; & prærogativa Equestri donavimus, atq; ut Bona quævis Terrestria liberè ac licitè tenere, possidere, pro libitu emere, & quovis titulo di-*

Q *stra-*

ſtrahere, ipſe & Succeſſores ejus legitimè poſſint, more aliorum Nobilium Regni huius, habiles & idoneos præſentibus reddimus. Quæ omnia & ſingula ſupra ſpecificata cùm rata, firma, & inviolata eſſe velimus; ad omnium Regni Noſtri aliarumq; ditionunm Magiſtratuum, & Dignitatum tam, Eccleſiaſticarum quàm Sæcularium & aliorum quorumvis notitiam deducendum eſſe duximus. Quemadmodum & deducimus per præſentes, mandantes univerſis & ſingulis: ab amicis autem noſtris & alijs Regno noſtro minimè ſubjectis amanter requirentes; ut præfatum Nobilem Jacobum Gryn Capitaneum, omnesq; ab eo legitimè deſcendentes, non modò pro veris ac genuinis Equitibus auratis recipiant, ha-

be-

beantq; ac eis nullo dicto & facto derogent: Verùm benevolentia etiam ac favore proſequantur, ad honores contendentibus faveant, omninoq; alienæ virtuti non invidentes, ſuam pari merito emerſiſſe teſtentur. In quorum fidem præſentes literas manu Noſtrâ ſubſcripſimus Sigilloq; Regni Noſtri muniri juſſimus. Datum Cracoviæ in felici Coronatione Noſtra die decima octava Septembris Anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo, Regni Noſtri Anno primo.

AUGUSTUS REX — L. S. R. — M. de Tęczyn Oſſoliński. Vedro. Sigilli M. R. S.

Ex

Ex attentâ præcitati diplomatis lectione, tanquam è cryſtallini ſpeculi Diaphano, conſtat luculenter; quoscunq; demùm altioris conditionis, competitores, poſt coronationem, terno ictu gladij, in Foro Cracovienſi à Regibus ſignari ſolitos, dici quidem vulgariter *Equites auratos*; toto tamen Cælo diſtare ab ijs; qui à Sigiſmundo primo, & Auguſto itidem primo, ſub tempus infeudationis Ducum Pruſſiæ creabantur. Iſtis enim ipſa naſcendi ſorte, ac indubitata generis claritate, ſupra Plebejum gradum elevatis, Torquem aureum, præſertim Duci Pruſſiæ, tum alijs Illuſtribus Viris Polonicis, & Comitibus Germanicis in majus dignitatis augmentum, utpote vetuſtiſſimi Polonici Ordinis Inſigne conferebant: illi

non tam in Ordinem ſpecialioribus notis diſcretum, quàm in computum, ac ſi Privilegiatorum Regnicolarum, absq; cujuſvis ornamenti,aliarumq;præſtantiſſimarum Statui nobilitari propriarum prærogativarum collatione, admittuntur.

CAPUT IX.

De Reaſſumptione Ordinis Polonici Aquilæ albæ, ſub Teſſera & Protectione Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis DEIParæ.

SOnora rectè vel perperam geſtorum buccinatrix fama, pro tubis vocalib9, calamis Hiſtoricorum inſtructa, nec dum in auribus poſterorum conticuit; quan-

quanto alacritatis ardore, Vladislaus quartus Rex Poloniarum, Ottomanicam Portam arietare decreverat, faustis præsertim præludijs obtentæ de Osmano victoriæ animatus. Dimidium facti, qui benè cæpit habet. Affines passim sunt suis principijs fines. Ut ab ortu Solis, totius diei serenitatem portendimus, ita à prosperis fortium impressionum initijs, prosperos earundem eventus auguramur. Eò Invictissimi Principis Vladislai vivaces ferebantur spiritus, ut optimè cæpta, simili exitu coronaret. Hinc emersit illa laudabilis cum Imperatore Romanorum, Moschovitis, atq; Venetorum Republica Colligatio. Hoc intuitu ducenta millia Cosacorum conscripta, Græci, in Regias partes, & occultam

co-

Fol. 126.



VLADISLAVS IV D. G. REX POLONIÆ M. DUX LIT. RVSS. PRVS. MAS. SAMO. LIV. NEC. NON. SVEC. GOT. VAND. REX etc

Jan Sirmacki sc.

Fol. 48.



SIGILLVM VETVSTISSIMVM
MAIESTATICVM DVCVM ET
REGVM POLONIÆ

cointelligentiam pertracti, notabilis deniq; sumptu proprio conflatus exercitus. Nihil illi, ad tam gloriosum opus perficiendū restabat, præter unanimem assensum Reipublicæ, à qua tantùm triginta Millia Militarium copiarum expetebat. Volens autem communis Patriæ Civibus fervidiorem inspirare zelum ad ausus Heroicos, contra immanissimum Christiani Nominis hostem; instituit Militarem Ordinem sub titulo Equitum Sanctissimæ Virginis MARIÆ, absq; labe primigenia Conceptæ; quatenus fastuosis Cornibus deformatæ Ottomanorom Lunæ, eam, quæ pulchra ut Luna est, opponeret. Circumscripsit præterea idem Regnator Marianos Equites certis Constitutionibus; vi quarum tenebantur ge-

geſtare de Collo Torquem aureum cum Cruce octogona, ex una parte, Effigie Virginem MARIAM Immaculatè Conceptam repræſentante: *ab altera,* *Joannes Chariſius.* *ſimulacro Aquilæ albæ expanſas alas habentis*, inſignita. Quid aliud fuit hiſce numiſmatibus Heroûm pectora ornare ac armare, niſi vetuſtiſſimum Ordinem Polonicum, toties ruinæ proximum, à fundamentis reſtabilire, & quidem ſub ſolido potentiſſimæ Cælorum Reginæ Patrocinio? unicus nimirùm Heros, multis æquivalet bellatorum Cohortibus; qui pro ſe militantem habet Aciem Caſtrorum Ordinatam. Firmiſſimum eſt propugnaculum, ſingularis Deiparæ Protectio. Eſt illa Turris celeberrima, ex qua mille clypei pendent, imò omnis armatura fortium.

Pla-



Placet hoc loco recensere summatim Principaliores dicti Ordinis Regulas, excerptas è libro Typis Romanis impresso, cui præfixus titulus ita sonat: *Statuta Inclyti ac Heroici Ordinis Equitum Immaculatæ Virginis.*

In Nomine Domini A.

Vladislaus IV. DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Severiæ, & Czernichoviæ, nec non Svecorum, Gothorum, Vandalorumq; Hæreditarius Rex, Electus Magnus Dux Moschoviæ.

Ad perpetuam rei memoriam. Notum facimus; Nos ubi primùm liberis & concordibus Polonæ & Litvanæ Gentis suffragijs Majorum Nostrorum

Solium conſcendimus, Enſemq; illum tot Divorum Prædeceſſorum Noſtrorũ triumphis Nobilem Sacrâ Antiſtitis manu, lateri noſtro accinctum ad ipſas Divini Numinis Aras ſtrinximus, eò primam ſollicitudinis noſtræ intentionem convertiſſe, ut omnem Subditorum Noſtrorum in armis exercitationem à Divinæ Majeſtatis honore & gloria auſpicaremur. Hæc enim bellicoſſimæ Gentis pectora, quorum nos anteſignanum DEUS eſſe voluit, nullis tecta muris, aut propugnaculis, patentes ditionum noſtrarum campos, ſine peculiari Numinis ope tueri, & nuda fortitudine armatos Hoſtiũ impetus frangere haud queunt. Quô verò Majora Cælitûs requirunt, recipiuntq; auxilia, eò ardentiùs ſupernorum Caſtrorum hu-

humili devotione expectent Societatẽ, eſt neceſſe. Et quamvis univerſa hæc Nobilitas Equitum, uti munus, ita & dignitatem, ſuſtineat, pauciq; reperiantur, qui Patriorum Inſtitutorum obliti, prætextam non in Caſtris deponant. Illis tamen, quos generoſiores Spiritus, & ardor Nobilis, non ſequi ſolùm, ſed & præire, nec partem aliquam ſed totam vitam gloriæ devovere cogit, id peculiari ratione curandum eſt. Horum ergo pectoribus tremendum Barbaris Crucis Sacroſanctæ Clypeum parare volumus, Ordinem inſtituendo, quem ad DEI Optimi Maximi, ejuſq; Glorioſiſſimæ Matris Honorem, erigimus, fundamuſq; certo numero Virorũ ex omni Equeſtri Ordine, hujuſmodiq; Ordinis Militaris Equites Immaculatæ

 Vir-

Virginis appellari volumus, appellamusq; & eis ſequentes leges uti primus Author & Inſtitutor, præſcribimus.

De Numero.

Numerus Fratrum non excedet ſeptuaginta duos præter Principem, hic enim numerus diſcipulorum Cæleſti Principi placuit, ſed & Patronæ Noſtræ tam Gaudiorum quàm Dolorum Myſteria ſeptenario numero terminantur.

De Nobilitate.

Genus Equitum Nobile, & quorum à Majoribus derivata antiquitas; nullâ maculâ defædatâ, nullâ ſuſpicione in dubium revocata.

De Patria.

Cùm non ſolùm ad ſplendorem Ordinis Equeſtris, ſed etiam ad emolumentum Ditionum Nobis Subditarum, iſte Ordo reſpiciat, Equites ex his Subditis Noſtris Regni Poloniæ, Magniq; Ducatûs Litvaniæ, ac Provinciarum ipſis annexarum eligentur. Licitum tamen erit Imperatores, Reges, Principes, Viroſq; Illuſtres exteros in hunc Ordinem cooptare, modò numerum viginti quatuor non excedant, reliqvus numerus uſq; ad ſeptuaginta duos præter Principem Nobilibus Subditis noſtris conſtabit. Hoc præterea cavemus, neminem exterorum (præter ipſos Ordinum Supremos Magiſtros & Monarchas) in hunc noſtrum Ordinem adſci-

ſci poſſe, qui non priùs omnibus aliis Militaribus renuntiaverit, ſodalitatibus & ornamentis.

De Principe.

Principatum hujus Ordinis Nos ipſi, quo ad vixerimus, geremus, poſt fata verò noſtra ſubſequentes Reges Poloniæ, liberè electi unà cum Regalibus Inſignijs, hunc Magiſtratum, ejuſq; ornamenta ipſo Coronationis die (niſi primò in numero eorundem Equitum ſuerint) capeſſent.

De Inſigni ſive Torque.

Inſigne Equitibus Noſtris dabimus, Torquem ex auro puro abſq; ullis lapidibus vel unionibus, cujus particulæ invicem concatenatæ alternatim repræſen-

ſentabunt, una quidem lilium album, in medio radiorum cum hac inſcriptione: *In te.* altera verò faſciculos ſagittarum colligatarum faſciâ albâ his verbis inſcriptis *unita virtus*, Dependebit à Torque Crux rubea in cujus medio conſpicitur Imago Virginis Infantis candida, Draconem calcantis pedibus, his verbis ſuppoſitis: *viciſti vince &c:* Hoc Inſigne Nos pro ſingulis Equitibus procurabimus, uſq; ad numerum ſeptuaginta trium.

De Uſu Illius.

Utentur hoc Inſigni Equites, & ipſe Princeps in omnibus Ordinis ſolennitatibus, tùm in feſtivitatibus, Circumciſionis, Epiphaniæ, Paſchatis, Penteceſtes, Corporis Dominici, & Natalis; tùm

tùm omnibus illis diebus, qui Sacratissimæ Cælorum Reginæ Patronæ nostræ sunt dicati, sed potissimum die Conceptionis illius Immaculatæ, quem particulariter observabunt, & eò ipso ad Sacram Corporis Dominici Communionem accedere tenebuntur. Hoc ipsum Insigne gerent diebus quoq; Sanctorum, Adalberti, Stanislai, Casimiri, & Francisci, reliquis verò diebus Crucem solam, & quidem solenni minorem, albâ fasciâ è Collo suspensam deferent.

De Habitu.

Die Solennitatis Ordinis Equites Gentis suæ more induti (dummodo purpurei coloris sit ille interior ornatus) desuper Pallio candido longiore sinistram manum magis quam dextram ope-

operiente, ex panno Phrygio vestientur, subductū verò erit panno sericeo leviori purpurei item coloris, cujꝰ superna Pars circum humeros dependebit. Pileum item candidū gestabunt, ejusdē panni similiter subductum, cujus vertex radijs aureis à summo ad medium prominentibus, pars verò anterior Imagine Virginis Matris auro & argento textâ ornabitur. Hunc verò ornatum unus quisq; Equitū proprio ære sibi curabit.

De Sacello.

Sacellum hujus Ordinis erit Templū Pacis ad Præsepe Salvatoris in Urbe, Cracoviensi Patrum Minorum de Observantia Sancti Francisci curæ commissum, cujus ornamentorum præcipuam Equites curam gerent, sepeliriq;

 cor-

corpora ſua (niſi ratio gravis aut Perſonæ reſpect9 Teſtatorisq; voluntas aliter diſpoſuerit) ibidem mandabunt.

De Officialib9 Ordinis.

Officiales Ordo habebit duos ex numero eorundem Equitum à Principe deſtinatos, Cancellarium nempe, & Theſaurarium, quorum munera & functiones ex his ipſis legibus patebunt.

De Præcedentia.

Inter Equites hic Ordo obſervabitur; primò Monarchæ & Principes Sangvinis Regij, poſt hos Senatores Regni, qui in Ordine hoc fuerint, ſecundùm ea loca, quæ in Senatu obtinent, reliqui ſive ſint Officiales Curiæ Noſtræ, ſive non, ſolâ temporis

quo Inſignia Ordinis ſuſcepêre prærogativâ gaudebunt, quòd de Feſto annuo duntaxat Ordinis intelligendum eſt. Salvis per omnia præeminentijs, & præcedentijs quorumcunq; Officialium, ſecundùm uſum & conſvetudinem Reipublicæ, ſive ſint Officiales Curiæ Noſtræ, ſive Palatinatuū & Terrarum.

De Fratribus Defunctis.

Quolibet Anno Princeps, & Equites pullati in idem Templum è Palatio deſcendent, illicq; pro animabus Defunctorum Fratrum Sacris intererunt, concionantemq; Supremum Ordinis Pœnitentiarium, de virtutibus & rebus geſtis Defunctorum Confratrum audient, ut & mortuis laus conſtet, & vi-

vi præclarè factorum exemplis ad virtutem gloriamq; excitentur.

Quid unicuiq; Defuncto debeatur.

Ubi ad notitiam Confratrum mors Confratris devenerit, singuli Equites pro illo Defuncto triginta Missas absolvi curabunt, ipsi verò totidem vicibus Salve Regina recitabunt.

De Sepultura Equitum.

Confratrum mortuorum corpora, quibuscunq; per distantiam locorum, occupationesq publicas, aut infirmam valetudinem licuerit, ad sepulchrum comitari, & quàm maximam etiam mortuo demonstrare charitatem ad de-

clarandum tam Inclyti Ordinis vinculum, volumus.

De Torque Remittendo.

Hæredes defuncti Equitis Torquem intra Trimestre remittere ad Thesaurarium Ordinis, vel ipsum Principem tenebuntur. Quod si verò quispiam Equitum per in curiam vel casu fortuito Torquem amiserit, tantùm auri in Thesaurum Ordinis inferet, quantùm ad novum conficiendum requiritur.

Gesta Ordinis.

Cancellarius Ordinis ad excitandos Fratrum nostrorum animos, præclara singulorum gesta & totius Ordinis

Insignia facinora literis consignabit, ut eorum perennet memoria, quorum virtus & animi magnitudo Orbi confert perennitatem.

De Prælato.

Nominabimus itidem unum ex Prælatis, qui nobis & nostris in posterum Successoribus visus fuerit, qui tantùm Sacra publica Ordinis in Conventibus peraget, & defunctos Confratres pro Concione laudabit, geretq; talem Crucem, qualem Equites, extra solenniores Festosq; dies gestabunt.

Fidelitas in Patriam & Principem.

Ultra hæc obligabuntur Equites se

se Principis ac Reipublicæ salutem, dignitatem, & commoda, atq; Patriarum legum & immunitatum prærogativas, post DEUM ejusq; Deiparæ Virginis, Sanctæq; Matris Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ honorem præ oculis habituros.

Bellum contra Turcas.

Si Bellum à Barbaris & Infidelibus ingruat, tenebuntur viriliter obviare, & vires suas conferre, in Bello stipendijs contentari, à nemine quidquam extorquere, nec extorqueri à suis permittere, aliosq; Commilitones, quantùm licebit ab hujusmodi rapinis avertere.

DEI Honor & Beatissimæ.

Ne DEUS Ejusq; Mater se audiente blasphemetur, vel cum vitæ periculo se opponent, ejusq; Cultum promovebunt, Leges Ordinis, debitamq; Principi secundùm Jura Reipublicæ obedientiam observabunt.

De Extraneis.

Si quis Principum vel Virorum Illustrium exterorum in hunc nostrum Ordinem admitti postulaverit, aut Nos vel Successores nostri aliquem eorum Insigni hoc honorare vellemus, Ordinis Torque, videlicet cum Cruce, per Cancellarium aut Secretarium Ordinis (si

ex

ex Monarchis aut Majoribus fuerit Principibus) si verò ex alijs Viris Illustribus, per novissimum Equitem absenti transmittetur. De cujus manibus inter Missarum solennia Torquem recipiet, ad militiam tamen in limitibus Russiæ, exteri qui noluerint, non obligabuntur, præcipuè Principes, qui aliàs retundendis Barbarorum conatibus vires ac facultates suas impendunt, & huic ipsi Regno auxilio, ubi necessitas postulaverit, adesse queunt, modò tamen à Viris Illustribus, non verò Monarchis singulare aliquod meritum Reipublicæ præstetur.

Locus Inaugurandi Equites.

 In-

Insignia Ordinis in Templo capient, inter Missarum solennia, antequam cantetur Evangelium. Constituto verò die omnes Equites; nisi legati impedimento præoccupati fuerint, vel ratio eminentis dignitatis impediverit, convenient, deducendo Principem ex Palatio, eumq; per Seniorem Equitem accomodata salutabunt Oratione. Per Cancellarium seu Secretarium Ordinis; à Principe vicissim grati & Paterni animi responsum accepturi. Ad Templum prodibunt bini præcedentes Principem, eodem cultu cum Equitibus illo die ornatum. Sacram ingressi Ædem, suam quisq; sedem Insignijs ac armis ornatam occupabit, & Missam solennem de Immaculatæ Deiparæ Virginis Conceptione cantandam ab eo Præla-

lato, quem Princeps Supremum Ordinis Pœnitentiarium declaraverit, debito cultu & reverentiâ audient. Ad Offertorium ubi primùm Princeps processerit, singuli Equites suo sequentur Ordine, quàm primum ad Altare Offertorij munus tradiderint, Principem adibunt, ejusq; manum deosculabuntur.

Eleemosynæ.

Eleemosynas pro redemptione Captivorum vel sustentatione egenorum, cuilibet Equitum secundùm Christianam charitatem præstare permittitur, ad manus Thesaurarij Ordinis; etiam legare & donare cuiq; Equitum in hunc finem licitum erit, & alijs personis hac pietate excitatis, quod de Bonis tantùm mobilibus est intelligendum. His mo-

modis collectam pecuniam, Thesaurarius Ordinis juramento obstrictus, ad nullum alium usum convertet, præterquam in eliberationem Captivorum militum, vel sustentationem indigentium, idq; pro arbitrio Principis & Equitum præsentium. Si quis Equitum non suâ culpâ, sed aliquo infortunio ad tantam devenerit egestatem, ut sine probro Nobilitatis Equestrisq; dignitatis vivere nequeat, huic communi Confratrum ope erit succurrendum, tenebiturquè unusqusquè Equitum subvenire indigenti.

Confraternitas Conceptionis Beatisimæ.

Ut verò Immaculatæ Virginis honor augeatur, & erga hanc potentem Ordinis nostri Patronam devotio latiùs diffundatur, postulabimus à Sanctissimo Domino nostro Papa, Archiconfraternitatem hujus ipsius Immaculatæ Deiparæ Virginis (quam Fratres Minores de Observantia Sancti Francisci eodem in Templo Pacis ad Præsepe Salvatoris in Urbe Nostra Regia instituent) approbari. Quæ non solùm Equitibus Inclyti Ordinis hujus, sed omnibus Christi fidelibus utriusq; sexûs communis erit, more aliarum in Religionibus Confraternitatum. Præfatæ tamen Confraternitatis Sodales non Equites nulla ratione Crucem, aut alia Ordinis Nostri Insignia gestare præsument, sed Imaginem duntaxat, Virginis Infantis candidam ex auro fusi-

ſilem Draconem pedibus calcantem, cum hac circumſcriptione: *Dignare nos laudare Te Virgo Sacrata.* In his autem omnibus ſtatutis, & eorum articulis, punctis, clauſulis, & conditionibus, leges, jura Reipublicæ & Nobilitatis Regni, nec non Magni Ducatûs Litvaniæ, immunitates & prærogativæ ſecundùm veterem Reipublicæ conſvetudinem, & Patriæ inſtituta ſacroſanctè obſervabuntur.

Hæ erant principaliores Conſtitutiones Polonici Ordinis, ſub Patrocinio Mariano à Sapientiſſimo Legiſlatore Vladiſlao quarto, matura cum deliberatione fabricatæ, ex quibus nullum apicem, nec unum Jota præterire decet, quin auro Cedrove notetur. Verùmtamen ſi per aliam ſeriem Decre-

to-

torum Divinorum tanto Principi convivere contigiſſet, & ſi ſenſum Domini cognoviſſem, aut Conſiliarius ejus fuiſſem, ſvaſiſſem potiùs, ut Templum Equitibus quodammodo appropriatum, non Cracoviæ, ſed exempli causâ Leopoli, prope confinia Turcica deligeretur. Magis item congruum foret deſignari locum ejuſmodi Sacris Conventibus devotioni Equitum deſtinatis, Varſaviæ penes Curiam Regum, apud Religioſos Sanctiſſimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum, ad quorum fideles manus tum Equites, tum aliæ Perſonæ pietate inſigniores, largas Eleemoſynas longè ſecuriùs importarent, quàm ad Ordinis Theſaurarium, pluribus negotijs incompatibilibus frequenter diſtractum. Iſtorum ſiquidem

Pa-

Patrum ex Instituto speciali munus est proprium, captivos sub barbarico Turcarum jugo gementes redimere, quod hucusq; cum ferventissima charitate exercent; Quanquam saluberrimo coronati Capitis molimini, intra solos bonæ voluntatis limites concluso, nihil gloriæ derogare expedit. Relictis proinde in vigore debitæ laudis Vladislai conatibus; pro incremento encomij, adnecto bullam Pontificiam tempestivè obtentam, præcitata instituta confirmantem.

Urbanus Papa VIII.

Ad perpetuam Rei memoriam.

Militantis Ecclesiæ Regimini per abundantiam Divinæ gratiæ meritis licet imparibus præsidentes, inter præcipuas

puas Apostolicæ servitutis curas; illam peculiari studio jugiter amplectimur, ut Catholica Religio ubiq; Terrarum, & Gentium, floreat, ac etiam Piorum Principum aliorumq; Virorum genere & virtutibus præstantium tanquam Fidelium CHRISTI Athletarum, ope ac fortitudine in dies magis augeatur, ac propagetur, proindeq; Catholicorum Principum in id tendentium vota, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, salubriter in Domino expedire. Siquidem dilectus Filius Nobilis Vir Georgius Offoliński Comes de Tęczyn Charissimi in CHRISTO Filij Nostri Vladislai Poloniæ & Sveciæ Regis Illustris, ad Nos & Sedē Apostolicam Orator, ejusdem Vladislai nomine Regis, Nobis nuper exponi fecit,

quod ipſe Vladiſlaus Rex pro avito ſuo Catholicæ Religionis defendendæ, & propagandæ ſtudio, unum Ordinem Militarem ſub titulo Immaculatæ DEI-Paræ Virginis pro certo numero Virorum, ex omni Equeſtri Ordine lectiſſimorum, ad Majorem D E I, ejusdemq; Beatiſſimæ Genitricis Virginis MARIÆ Laudem & Gloriam, ipſiusq; Catholicæ Religionis adverſus ejus hoſtes defenſionem, & propagationem, modo & formâ infraſcriptis erexit & fundavit cum ſtatutis editis ſuper hoc tenoris ſequentis.

Hic recenſentur Statuta Ordinis & Diploma Regis.

CUm autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Georgius Comes

plu-

plurimùm cupiat erectionem, & fundationem Militiæ hujuſmodi ac præ inſerta ſtatuta Apoſtolicæ Noſtræ Confirmationis robore communiri; Nobis propterea Georgius præfatus dicti Vladiſlai Regis nomine humiliter ſupplicari fecit, ut ſuper præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur piè laudabili ipſius Vladiſlai Regis deſiderio, quantùm cum Domino poſſumus annuere, ipſumquè Vladiſlaum Regem quem præcipuè Paternæ charitatis affectu complectimur, ſpecialibus favoribus & gratijs proſequi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, erectionem & fundationem Ordinis Militaris præfati, ac præinſerta ſtatuta hujuſmodi, dum modo ſtatuta Sacro Concilio Triden-

U2 ti-

tino, & alijs Sacris Canonibus ac Apostolicis Constitutionibus non repugnent, & sine præjudicio Jurium ordinariorum Apostolica Authoritate tenore præsentium approbamus; & confirmamus, illisq; inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, & omnes ac singulos tam Juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, decernentes præmissa omnia & singula, valida, firma, & efficacia fore, suosq plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, per quoscunq; dicti Ordinis Militaris Fratres Milites, & quasvis alias illius Personas inviolabiliter observari, sicq; nec non aliter per quoscunq; Judices Ordinarios & Delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Au-

di-

ditores ubiq; judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis Authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consvetudinibus Privilegijs quoq; indultis & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis & innovatis, quibus omnibus & singulis illorum, tenore præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus cæterisq; contrarijs quibuscunq; &c. Datum

Ro-

Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem ſub Annulo Piſcatoris die quinta Julij Anno MDCXXXIV. Pontificatûs Noſtri Anno XI.

Quiſquamne igitur, ſive ante, ſive modo viventium reprobare præſumeret, placitum Orbis Capiti, imò ab eodem Capite approbatum Magnanimi Regis Vladiſlai quarti inventum, pro augendo Procerum ac Nobilitatis Polonæ ſplendore, pro amplianda Regiæ Aulæ magnificentia, pro exacuendis contra Byſtoniam Hydram Civium auſibus, prudenter excogitatum? nemo certè ſalubris judicij compos diffitebitur, non ſolùm communi dignum Encomio; verùm etiam ex arcanâ ratione Statûs Reipublicæ fuiſſe utiliſſimum. Hac arte ſcilicet grande incommodũ ſub ſpe-

ſpecie honoris latitans evitari poterat. Nam plurimi Regum noſtrorum ab exteris Principibus, exoticorum Ordinum oblata Inſignia vel inviti acceptabant, ne faſtuosè reſpuere viderentur, aut ſaltem cujusdam inurbanitatis labem effugerent. Jam verò talis acceptatio obſtringebat eos inextricabili ligamento Confraternitatis, imò tanquam Pacto cum extraneis inito, nec ſine aperto diſcrimine liberam Rempublicam alienis negotijs innodabat. Ad amovendas itaq; periculoſas involutiones, ſupradictus Rex Domeſticum Ordinem Equitum inſtituit, ſeu potiùs antiquiſſimum reſuſcitavit, ne extranea decora emendicaremus. Voluit inſuper eundem Equeſtrem Cætum cum quibuſvis alienis eſſe incompatibilem, quate-

tenus Monarchæ Poloniarum vicinos Principes oblatione Signorum honorificorum ſibi redderent obnoxios, non autem ſuſceptis illorum Ordinibus, ſe ipſos, atq; Patriam inutilibus fœderibus devincirent. Cæterum glorioſos & univerſæ Chriſtianitati optatiſſimos, de bello contra Turcas inſtaurando Vladiſlai conatus, malevolorum invidi, per factionem exterorum ruptis Comitijs diſturbavit. Livor nimirum ſumma petit depreſſis vallibus minimè contentus. Ut umbra Comes eſt Corporum; ſic ille generoſæ mentis Pediſſeqvus. Date Virum, qui invidiæ fines virtute relinquat? qui ultra jactum lethiferi teli poſitus, virulentos iſtius furiæ rideat inſultus? ceſſante ergo fine, ceſſare me-

dia debuerunt! Ordo videlicet ille, velut ſtimulus Bellicæ fortitudinis contra inimicos ſalutiferæ Crucis, deſiderato caruit effectu. Deinde partim horribile totius Regni chaos, inter luctuoſa protunc emergentis ex palude ſtygia Coſaticæ rebellionis tempora; partim præcox Regis invicti fatum, laudabilis intenti ſucceſſum penitùs fruſtravêre. Mirabili nihilominus Superûm diſpoſitione id eveniſſe credo, ut integra præmeditatæ pridem executionis gloria cederet moderno Regnanti Sereniſſimo Auguſto Secundo, totq; Prædeceſſorum pulcherrima propoſita, pulchritudinem Pacis unicè complectens Monarcha, virtutibus ac imperandi artibus Vladiſlao ſimillimus, ſecundiſſimo eventu coronaret. Utiq; de-

deterior temporum viciſſitudo meliore penſatur. Dies diei magiſter eſt, quod unus incipit, alter perficit, longa dilatione eruditior.

CAPUT X.

De Reſtituto iterum, intra & extra Poloniam ſplendore Ordinis Aquilæ albæ, per Sereniſſimum & Potentiſſimum AUGUSTUM Secundum Regem Poloniæ, ac Electorem Saxoniæ.

EFficaciſſimum puſillanimitatis antidotum, quibuslibet tamdiu benè ſperantibus, quamdiu ſpirantibus præſcribit Sacer textus: *Cùm te conſumptum putaveris; orieris ut Lucifer.* Dum ſoles diurni occidunt; in Oceano naufragari putantur; ſed poſt primum dilu-

cu-

culum formoſiores emergunt. Cecidiſſe de Cælo ſtellas opinamur, quoties exhalationes videmus; at ſtabili firmamento affixum ſidus coruſcat. Multi extra fabularum commenta, à lapſu novas vires reſumunt Anthei. Semelne attulit ipſe viris optatum caſus honorem? nemo confidat nimiùm ſecundis, nemo deſperet meliora lapſis. Extincto Vladiſlao quarto, jam ſimul Heroicus Ordo Polonicus obliviosis incineratus pulveribus credebatur; non niſi exigua in Domeſticis exterisq́, annalibus reſtante ſui recordatione, ſub multiplici nominum, ſive vocabulorum diverſitate. Et ecce Sereniſſimus Auguſtus Secundus ſagax inprimis antiquitatum Polonicarum Indagator, Thaumaturgo planè artificio, ex Aquilinis


ci-

cineribus redivivum Phænicem eruit; ut nomini proprio famæ perennitatem, Reipublicæ immortale decus, fidelitati Civium emerita præmia provideret. Quapropter Anno Salutis millesimo septingentesimo quinto, quo horrendus belli Svetici turbo, laceratam armorum violentiâ Rempublicam in varias partes traxerat, plurimis Proceribus *Tykocini* collectis, tanquam in Pantheo omnium Cælitum cultui dicato, die prima Novembris, numismata quædam aurea, rubicundo opere encaustico elaborata distribuit, eorundem pectoribus appendenda. Uni numismatum lateri insculpta spectabatur Aquila candida, cum hac Epigraphe: *Pro Fide Rege & Lege:* in altero Initiales Nominis Regij literæ A. R. legebantur.

tur. Brevi postea placuit Majestati, sic innovatum Ordinem reddere magnificentiorem. Unde fabricari mandavit Cruces aureas octoangulares, Gallicanis, Equitum Sancti Spiritûs, magnitudine æquales puniceo ac transparente encausto super inductas, extremis marginibus albescentes, quarum latera expansæ alæ candicantis volucris ambiebant, quaternos autem angulos adamantini radij illustrabant, supereminente desuper Regali diademate, ita fabrè factis Crucibus, in albâ ligulâ, fiimbriis rubeo colore tinctis variegatâ, à Collo dependentibus exornati Magnates tunc comparuerunt. Verùmtamen Anno millesimo septingentesimo decimo tertio, visum est aliquid augustius, magisq; usitatum; ut singuli Equitum aliter

efformatas Cruces, à ſiniſtro brachio ſub dextrum, paulò infra cingulum protenſas, in tænia lymphata, cærulei ſive cyanei coloris quatuor digitorum latitudinem complexâ, Ruſſicæ *Sancti Andreæ*, Danicæ Elephantis, tum Gallicæ *Cordon Bleu* dictæ non abſimili geſtarent. Hic ipſe videlicet color primitùs à Vladiſlao Loctico paludamentis Equitum (ut ſupra diximus) fuit attributus. Hunc præ cæteris magis honorificum, apud retrolapſam antiquitatem extitiſſe liquet, ex Hiſtoriarum monumentis, nominatim è *Spenneri* teſtimonio. *Cæruleus* (inquit ille) *ſeu cyaneus, præcipuus inter alios colores; beneficentiam, civilitatem, Pacis ſtudium, conſtans gaudium, velocitatem, potentiam denotat.* Quæ omnia diſperſa

Spenner folio. 126



Vera delineatio Crucis Aquilæ Albæ in Thænia Cerulea pendentis.

J. Surmacki Sc.

ſa per omnes, ſi aggregentur in unum, virtutibus, qualitatibus, talentis, coronati Inſtitutoris adæquatè correſpondent. Crucis modernæ differentiam à priore facit adempta vertici Corona; ſiquidem locò illius continet Aquilam expanſam, diadema capiti impoſitum præferentem, nec non ex adverſo minorem Cruculam circulo vallatam, Saxonicis innixam gladijs, initialibus Nominis Regij literis inaratam, cum præcitato lemmate: *Pro Fide, Rege & Lege*: Acceſſit ſiniſtro Equitum lateri, quaſi ad cordis cuſtodiam excubans *aurea Stella* juſtæ magnitudinis Phrygio opere contexta, addenſatis cincta radijs, ipſo ſui meditullio Crucem ex argento ductili formatam comprehendens, in cujus extremitatibus ea-

dem

dem legitur inſcriptio: *Pro Fide, Rege & Lege*: Jam verò apud Regem, vicem iſtarum vocum: *pro Rege*, ſupplent hæ dictiones: *pro Grege*. Dies promotionis delectorum ad Equeſtre munus Heroúm odinariè ſolet eſſe illa, quæ anniverſarijs plauſibus celebrando nomini Regio deputatur, nempe ſecunda Auguſti, vel alia poſt modicum ſpacium temporis ſecutura quanquam extra tale tempus etiam, pro libitu, ſive beneplacito Majeſtatis, data occaſionum opportunitate inaugurantur. Qualibus autem Cerimonijs ſolennes ejuſmodi Actus expediantur? quandoquidē peculiari cerimoniali necdum conſtat; non erit incongruum adnotare. Evocat in lucem ſui conſpectûs Monarcha Sepremum Regni Mare-



Vera delineatio Stellæ ad latus Equitis existentis.

J. Nurmacki s.

reſchalcum, vel Ordinis Cancellarium, causâ capiendæ informationis de concurrentibus ad Ordinem ſubjectis ; quorum habitâ connotatione, & intra privatos lares maturè perpensâ; determinat aliquos ex Competitoribus, partim ibidem propoſitos; partim priùs è ſpeculâ altiſſimæ reflexionis præviſos, intimatq; eidem Mareſchalco; quatenus ita ſelectis favorem ſuum denuntiet. Exequitur hic promptè mandatum, præmonendo , ſeu certificando tum Spirituales tum Sæculares Candidatos, de ſecutura prope diem inauguratione, ſpeciali Principis Gratiæ adſcribendâ. Informat præterea pridiè; ut in craſtinum omnes pro more Gentis Patrio aut extraneo, verùmtamen concoloris nempè purpurei panni vel

Holoſerici amictu induti, circa horam ante meridiem decimam ad ſuum Palatium deſcendere dignentur. Placuit prudentiſſimo Principi pro majori dignitatis apparatu rubeum colorem Equitibus attribuere, cùm omnibus aliis ſit præſtantior, *Simboliſat enim nobiliſſimum Ignis Elementum; poſt Solem cæteris Cæleſtibus corporibus lucidiùs; inſuper Perſonis in Supremis Præeminentijs poſitis, videlicet Summis Pontificibus, Coronatis Capitibus, Cardinalibus, Principibus, Primarijs Magiſtratibus, Regnorumq; Senatoribus ab antiquo eſt proprius, denotat quoq; congruas Equitibus qualitates, utpotè audaciam, magnanimitatem animi, fortitudinem, generoſitatem, & charitatem ardentem in DEUM & proximum, correſpondet pariter Planetæ Marti, Igni Elemento, tum Cæleſtibus ſignis, Arieti, Leoni, & Sagittario.* Sanſovinus.

Quàm primùm juxta condictum tempus convenerint Candidati, in Comitatu Mareſchalli pergunt ad Regiam; ubi ante faciem ſuæ Majeſtatis Officiosè comparentibus, prævia Laconica allocutione, genuinam benignitatem ſpirante, confert Princeps Ordinis Inſignia. Ex nunc in intimis penetralibus Conclavis Regij adaptantur lateribus Equitum tæniæ undatæ coloris cærulei, cum Cruce Aquilam albam præſeferente, adamantibus diſtinctâ; nec non ſtella, modo ſupradicto contexta, ſuper mamillas ſiniſtræ manûs, veſtibus aſſuitur. Prælati Spirituales geſtant ſimilem Crucem in medio pectore de cærulea Tænia pendulam, more Gallicano ſidusq;

dusq; artificiale, à priore minimè diversum lævo lateri affixum. Hinc jure merito prout in Gallijs Sancti Spiritûs; ita hic Ordinis *Aquilæ albæ* Commendatores appellari deberent. Post persolutas grates debitas Majestati, pro tanti honoris munere, novâ habitûs elegantiâ ornati Equites subintrant anticameram, tam extraneorum Ministrorum Procerumve Regni, quàm aliarum exquisitæ extractionis Personarum congratulationes audituri; ab antiquioribus autem Socijs cordialem amplexum, cum osculo genarum in Signum initæ Fraternitatis recepturi; Apponitur deinde sumptuosum epulum, præmissa salutatione Principis, per Equitem prioritate temporis Principaliorem, nomine Ordinis universi, & ipso

Rege, paucis quidem, sed ponderosis verbis humanissimam erga omnes propensionem testificante. Mox cuncti admittuntur ad exosculandam dexteram Principis concoloribus eo die vestimentis præfulgidi, cum hac nonnisi differentiâ, quòd is circumferentias Indumentorum habeat ex auro, cæteri ex argento. Ad extremum dispositis ritè ferculis, Rex ipse commensalis in capite dapsilis tabulæ residet:reliqui Equites Senatores, interpositâ notabili distantiâ, dextrum latus, Ministri verò Statûs occupant sinistrum! Officiales Regni, ac externi hospites subsequenter assident secundùm Senium, seu tempus receptionis in Ordinem, idq; singuli purpurea chlamyde rubescentes, exceptis Ecclesiasticis, qui congruum

ſuo characteri retinent colorem. Præter incorporatos Ordini utriusq; Statûs Magnates, nemo hac Nuptiali veſte deſtitutus, accumbit menſæ convivali. Interim aula tubarum tympanorumq; fragore perſonat. Tria pocula à Sereniſſimo Architriclino propinantur, aſſidentibus: primum quidem in memoriam Inſtituti Ordinis, cui Senator primarius, altero Cratere Regali ſanitatis votivo reſpondet. Secundam pateram prælibare ſolet Majeſtas pro incolumitate Equitum: cui parem viciſſim illi explent, declaratoriam perennaturæ gratitudinis, pro exundantibus, Dominatricis munificentiæ in ſe profuſis laticibus, atq; Reipublicæ decoramentis. Tertius deniq; calix offertur convivantib9 manu Sceptrigerâ, apprecatori-

us-

us illibatæ in ſequentem Annum ſoſpitatis quatenus eâ conſtanter arridente, univerſos commenſales optimè valentes ac vegetos lux anniverſaria conſpectui Principis ſiſtat præſentes; quem pariter epotant omnes cum voto diuturni & feliciſſimi Regiminis Majeſtati. Interjecta competente morâ ſurgitur, ab epulari mensâ, Regeq; ad interius-conclavè digreſſo, quilibet lautè atq; opiparè refectus ad ſtationem propriam recedit. Præter alias obligationes, recenter creati Equites, per modum Tyrocinij, ſeu Novitiatûs, tenentur geſtare toto Trimeſtri habitum Ordinis, particularibus Signis emiçantem, & quidem quotidie : Statutâ contra transgreſſoes iſtius Legis mulctâ, licet leviſſimâ, quam exigunt antiquiores.

Quan-

Quanquam absq; ullo rigore pænæ, quandocunq; intra parietes Regalis Curiæ versantur, honorandis ejusmodi cimelijs coruscantes comparent, ad maiorem Aulæ nitorem conciliandum, suæq; dignitatis distinctionem illustriùs demonstrandam. Hoc tamen ipsum non est omnino essentiale, dum modo Stella, in Superiore vestimento acu picta, semper ac ubivis locorum conspiciatur. Accumulat insuper specialem Equitum observantiam stabilis consvetudo: vi cujus; dispositæ per atria Palatij, & ad Regiam januam excubiæ, ijsdem transeuntibus, pulverarias elevent fistulas, sive (ut militari utar termino) arma sua præsentent: cùm eodem tempore cæteri satellites ad Ordinem sese redigant, propter exhibendam amplio-

rem

Fol. 174.



EQVES ORDINIS AQVILÆ MODERN9 POLONICI. ALBÆ.

J. Sur: Scul.

rem reverentiam. Habet nimirum inviolabiles ritus Politica Civilitas; quos vel minima lædit omiſſio. Scrupulosè ſervantur urbanitatis Jura, exiguâ eorum tranſgreſſione craſſam Barbariem redolente. Verùm ad qualitates Perſonarum Ordini Noſtro incorporatarum revertamur. Admiſſi ſunt haud pauci Principes ultralimitanei; Viriq; alienigenæ, tam generis, quàm honoris excellentiâ præſtantiores, præſertim illi quos probata bonæ viciniæ ſpecimina commendant, aut quibuscum firma amicitia magis appetenda videtur: ut contra ingruentes calamitates queat adferre præſidium. Neq; enim ſolum vulgus amicitias utilitate probat; ſed Imperiorum omnium proſperitas, mutuæ, ac non ſterilis bene-

volentiæ adminiculo ſolidatur. Quis autem ignorat; quantum Regno noſtro iuvamen attulerit Auguſtiſſimus Romanorum Imperator, per ſuppeditatas auxiliares copias, ad eliminandam Svecorum hoſtilitatem ſub Joanne Caſimiro, viſcera Patriæ depaſcentem? quemnam latet; quàm opportunè Daniæ Rex, ejusdem Caſimiri debili dexterâ jam Sceptrum ægrè verſante, ferociſſimas Gotici Leonis vires, diverſione armorum diſtraxerit? An non reperiuntur ſuperſtites etiamnum oculi, quorum aſpectui ſubjecta Venetorum & Moſchorum Colligatio cum Republica noſtra, reciprocis fruebatur commodis, dum latiſſimum immortalis gloriæ, totiq; Chriſtianitati fæcundum aperuit Campum, per celeberrimam Viennenſem

Victoriam, Polono Nomini attributam? quis neſcit; Electores Brandeburgicos amicabilibus ſuppetijs, ad uſq; confinia Poloniæ ultra Camenecum protenſis, contra infideles, pro Aris ac focis noſtris, aliquando ſtrenuè militâſſe? cuinam ignotum eſſe poteſt, Curlandiæ Duces, fidos Regni Feudatarios, partim ſubmiſſis legionibus, partim perſonaliter, adverſus juratos hoſtes Crucis, & Svecos, cum diſcrimine propriarum ditionum, Caſtra Polonica haud ſine palpabili fructu auxiſſe, imò totam illam, nec non Pruſſicam Nobilitatem, minimè degenerem fortiſſimorum quondam Equitum Theutonicorũ ſtirpem, paribus nobiſcum in Regno prærogativis gaudentem, non tantùm antiquitate & claritate originis, ſed

generosis quoq; actionibus, in exercitibus Poloniæ ac Litvaniæ, per varias occasionum circumstantias, quid valeant humeri, præsertim unitâ virtute conglutinati, propalam Orbi multoties ostendisse? firmavit solidiùs indissolubilem unionem inclyta hæc Provincia; cùm stante ad præsens nova sui ordinatione; pro defensione Reipublicæ, in casu cujusvis belli, certa subsidia perenniter duratura, ex animo decrevisset. Omitto plura à conterminis potentijs in rem Poloniæ derivata emolumenta, quotiescunq; delicato fœderis nexu nobis eas officiosè scivimus obstringere. Nullum enimverò adeo efficacem ad attrahenda Ferramenta Magnetem parturivit natura; qualis est amor socialis, rigido chalybe duriora cor-

corda emolliens & vi svavi ad intimam pelliciens confidentiam. Indissolubilius Gordio nodo est vinculum charitatis, quia nec acutissimo scinditur acinace. Subtiles equidem ac aranearum telis vix absimiles videntur pectorales heroicarum Confraternitatum vittæ; sed longè fortiùs Collegas devinciunt, quàm famosa Gallicani Herculis catena. Parum proinde providam; minus circumspectam imò penitùs incuriam salutis, & integritatis suæ Lechiam quilibet in perscrutandis arcanis Politicis Centoculus Argus judicaret; si Spartanis tantùm circumdata mœnibus, nullisq; propugnaculorum fidens machinis, utpotè patentium camporum Domina; hæc saltim reciprocæ inter vicinas Nationes dilectionis

nis fortalitia, Militaribus tænijs tanquam funiculorum dimenſione delineata erigere negligeret. Decidant jam perſpicaciſſima Ethicorum ingenia, utrùm Secundiſſimus Regnator Sarmatiæ Auguſtus Secundus ſupremum Civilis prudentiæ gradum non attigerit; quando pro ſtabiliendo circumſitæ propinquitatis favore, ex Paterna planè circa bonum publicum ſollicitudine, extraneos quoſdam Principes Viroſq; Illuſtres ad Inſignia Ordinis Aquilæ albæ benignè admittit? quænam autem adlectis in Ordinem præſcripſerit jura Quiritibus? ſupervacaneum cenſeo inquirere, quandoquidem optimè penetravit ingenuam ſubjectorum ſibi Civium indolem, quantò libertate eminentiorem, tanto Dominantibus fide-

fideliorem. Sufficiunt illis Leges Patriæ ne multitudo novellarum Legum, arguat corruptionem Reipublicæ. Spontè Monarchis obtemperant, quos haud inviti eligunt, & connaturalis Genti Martialis genius minimè præceptorum ſtimulis indigens ad generoſas reſolutiones ſupplet vicem urgentiſſimi incitamenti. Pretioſum nihilominꝰ Gratiæ Coronatæ donariũ, diſtinctivũ ſcilicet characteriſatarum Perſonarum geſtamen, quò plures è numero Signatorum condecorat, eò ſecurior arrha ſeu pignus eſt tenerrimi erga Rempublicam amoris, ſtrictiùs Majeſtatis cum libertate ligamentum, & nunquam intermorituræ teſſera gratitudinis, nonniſi perpetuis cordium vectigalibus Solio perſolvendæ. Interim attentiùs di-

discutiendo usitatas Ordini nostro consvetudines, facilè advertimus, conformes esse Institutis Equitum à Vladislao quarto instauratorum. Utrobiq; nimirùm æqualis numerus Consodalium, septuaginta duos non excedens, utrobiq; genus alto à sangvine Divûm, celsoq; Jovem de Sangvine ducens, utrobiq; Solis Poloniæ Regibus competens Supremus Ordinis Principatus omnimodam ferè indicat paritatem. Huc spectat communè Vladislavianis Equitibus & nostro Cætui Augustissimæ Virginis DEIParæ Patrocinium; Insignia sumptu Principis comparata, suffragia animabus Defunctorum præstanda, color vestimentorum Superiorum purpureus, Inferiorum albus, Militare obsequium ad Fidei, Re-

gis,

gis, ac Legis defensionem expeditum. Nequaquam ab eadem harmonia dissonat munifica Captivorum & Egenorum sublevatio, allocutio Majestatis ab ore antiquioris Equitis procedens, osculum Regiæ manûs, instructio solennis Epuli, Prioritas (exceptis Senatoribus) juxta senium promotionis observanda; in sola duntaxat universi Ordinis annua Festivitate, salvis, in cunctis alijs occasionibus quorumcunquè Officialium præeminentijs, atq; præcedentijs antiquo Palatinatuum ac Terrarum usu receptis; restituuntur à Successoribus Equitum sublatorum è vivis, characteristica gestamina Principi. Admittuntur Personæ Spirituales, non excluduntur extranei, quos nominis magnitudo, intemerata probi-

tas,

aut evidens commendat utilitas. Siquidem ergo Ordo noſter per Sereniſſimum Auguſtum Secundum feliciter Regnantem ſub vetuſtiſſimo Aquilæ albæ agnomine, & Protectione Virginis Immaculatæ, propriorum Oraculo Labiorum proclamatæ Reginæ Poloniarum, circa initium præſentis ſæculi reſtabilitus, cum Vladiſlaviana Societate, paucis duntaxat exceptis vel immutatis convenit, novâ Sedis Apoſtolicæ Approbatione (poſt obtentam pridem operâ Georgij Oſſolińſcij, celeberrimi à Vladiſlao quarto & Republica Oratoris) minùs poterit indigere. Ex dictis hactenùs legitimè inferet benevolus Lector; reinſtitutionem iſtius Ordinis, ſuſpectæ aliàs novitatis criſim nequaquam formidare. Nam nihil tale

le profitetur, quod non ſit antea in Polonia practicatum, non domeſticis exoticisq; annalibus decantatum, non alijs Chriſtianis Regionibus optimè expolitis commune, non à Vicario CHRISTI confirmatum. Quinimò nec cenſorius quiſpiam Ariſtarchus aliquid hîc poteſt carpere, tanquam juribus liberæ Reipublicæ præjudicioſum; mox enim ſimilibus exemplis mordaciorem lingvam hebetabit. Convertat curioſam deterſa albugine livoris pupillam in Venetorum Rempublicam, inter Politicas Chriſtianitatis Communitates liberrimam, in manutentione Avitarum Libertatum ſapientiſſimam, in retinenda æqualitate contra faſtum ac ambitionem Magnatum exactiſſimam, quandoq; etiam ſeveriſſimam! hæc nihi-

hilominus præter Senatorias Curules, aliaq; Officia confert Ordinem Sancti Marci Equitum, gestantium numisma aureum, effigie ejusdem Evangelistæ insignitum, cum inscriptione: *Pax tibi Marce Evangelista meus.* Ibidem Equites *Stolæ aureæ* nuncupati creantur, qui portant super brachium sinistrum Stolam ad usq; genua pendentem ab utraq; parte acu pictam, nec tamen inde ullum Jurium suorum libertati innixorum, aut æqualitatis patitur præjudicium. Generosi videlicet animi (teste Julio Cæsare) magis honorificis Insignibus, quàm æstimabilibus obryzo muneribus, vel pretiosis lapidibus, vel opibus, ex Regum thesauro in benemeritos dispersis contentantur. Resuscitata itaq; in Regno

nostro Equestris Societas; non solùm Juribus Patrijs minimè adversatur, sed potiùs jura tuetur, splendorem Gentis dilatat, vicinorum amicitiam fovet, Cives ad honestam rectefactorum excitat æmulationem. Unde exigit Justitia, ut omnes Regni Ordines, tam profuso in amplificanda sua decora Regio Nomini solennissimam grati animi demonstrationem, publicis ad seram posteritatem fastis inscribant. Jam si libeat extra Delphicas Cortinas formare vaticinia; citra erroris periculum ominari licet, constantem tam eximij Ordinis durationem, nunquam ulterioribus ruinis involvendam. Reges nimirum Poloniæ, longa serie Thronum occupaturi, erunt illius Nutricij, nutantemq; (quod absit) velut Athlantes

ſuſtentabunt, exterorum Principum Procerumve Coronata aut Mitrata Capita eidem adſcripta fulcient, fortiſſimæ Statûs rationes manutenebunt, Congreſſus Publici, uti nunc ita & in poſterum in perpetuo vigore conſervabunt. Quis ambigere poteſt, ipſam Sereniſſimam Domum Saxonicam à tanto Regij Nominis monumento, fatalem amolituram Cataſtrophen, imò eidem in memoriam celeberrimi Principis æviternam proviſuram indemnitatem. Quo caſu autem Polonia Inaugurationem præfatam aboleri permitteret, Jusq; conferendi Inſignia (paucis immutatis) ultralimitaneos ad Principes delaberetur; o quam probroſæ ignominiæ ſtigma! quàm enormis ignaviæ nota pulcherrimæ Genti inureretur.

Quin-

Quinimò ex ratione Statûs multùm nocivæ provenirent conſequentiæ, ſi talium honoris Inſignium diſtribuendi poteſtas, cum detrimento prærogativæ Regum Sarmatiæ, tranſiret ultra Regni limites, & Ordo Lechicus, in altiſſimo ſplendoris meridie conſtitutus, alium præter Poloniæ Regem, Planetarum ſuorum Principem adorare cogeretur. Interea gratum fore curioſo Lectori exiſtimo, cùm ſyllabum Equitum Aquilæ albæ, non jam ſecundùm antiquitatem Inſtitutionis, ſed juxta ſeriem dignitatum ac Officiorum Regni, in ſubſequenti Capite poſuero.

CAPUT XI.

Equites viventes ac defunctos intra & extra Regnum Poloniæ recenſet.

Se-

SErenissimus & Potentissimus AUGUSTUS II. DEI Gratiâ Rex Poloniæ Magnus Dux Lithvaniæ &c: ac Elector Saxoniæ, Supremus Ordinis Princeps Caput & Institutor.

Equites.

Fridericus Augustus Regius Poloniæ & Electoralis Saxoniæ Princeps.
Fridericus Regij Principis Filius.
Janussius Dux in Wisznio wiec Castellanus Cracoviensis.
Franciscus Wielopolski Palatinus Cracoviensis.
Ludovicus Pociey Palatinus Vilnensis Supr: Exer: M. D. L. Dux.
Georgius Lubomirski Palatinus Sandomiriensis.
Casimirus Dux Czartoryski Castellan9 Vilnensis.

Ca-

Casimirus Ogiński Palatin9 Trocensis.
Joannes Sapieha Castellanus Trocensis.
Josephus Potocki Palatin9 Kijoviensis.
Joannes Jabłonowski Palatinus Russiæ.
Michaël Potocki Palatinus Vołhyniæ.
Stephanus Humiecki Palatin9 Podoliæ.
Joannes Tarło Palatinus Lublinensis.
Franciscus Załuski Palatinus Plocensis.
Michaël Sapieha Palatinus Podlachiæ.
Francisc9 Bieliński Palatin9 Culmensis.
Boguslaus Łubiński Castellanus Sandomiriensis.
Josephus Mniszech Supremus Mareschalcus Regni.
Alexander Sapieha Suprem9 Mareschalcus M. D. L.
Joannes Szembek Cancellarius Regni.
Michaël Dux in Wiszniowiec Cancellarius M. D. L.

Jo-

Joannes Lipſki Procancellarius Regni, & *Ordinis Cancellarius Eccleſiaſtic9.*
Michaël Dux Czartoryſki Procancellarius M. D. L.
Maximilianus Oſſolińſki Theſaurarius Supremus Regni.
Staniſlaus Poniatowſki Theſaurarius Supremus M. D. L.
Stephanus Potocki Mareſchalcus Curiæ Regni.
Paulus Dux Sanguſzko Mareſchalcus Curiæ M. D. L.
Chriſtophorus Towiańſki Succamerarius Regni.
Boguſlaus Donhoff Succamerarius M. D. L.
Antonius Moſzyńſki Theſaurarius Curiæ Regni.
Joannes Branicki Vexillifer Regni.

Alexander Lubomirſki Enſifer Regni.
Michaël Dux Radziwiłł Præfectus Stabuli M. D. L.
Michaël Bielińſki Pincerna Regni.
Georgius Lubomirſki Notarius Campeſtris Regni.
Theodorus Lubomirſki Capitaneus Scepuſienſis.
Auguſtus Dux Czartoryſki Generalis Gvardiæ Regni.

Miniſtri Saxonici.

Woldemar Baron de Lovendal Supremus Mareſchalcus Curiæ Saxonicæ.
Petrus Comes Lagniaſco.
Auguſtus Comes Wackerbarth.
Chriſtophorus Comes Manteuffel.
Antonius Comes Lutzelburg.
Carolus Comes Hoymb Legatus Regius in *Gallia.*

Carolus Comes Flodroff.
Josephus Marchio de Fleuri.
Henricus Comes de Freyse.
Joanes Adolphus Loss Mareschalcus Aulicus S. R. M.

Equites extra Regnum.

Fridericus Electoralis Princeps Brandeburgicus.
Adolphus Dux Saxo-Weysensels.
Georgius Dux Saxo-Barbiensis.
Henricus Dux Saxo-Mersburgensis.
Augustus Dux Saxo-Weymariensis.
Mauritius Dux Saxo-Neostadiensis *Ecclesiasticus*.
Georgius Marchio Brandeburgensis de Bareyt.

Ludovicus Dux Wirtembergensis.
Vilhelmus Dux Hasso-Casselensis.
Augustus Dux Anhaltinus.
Mauritius Comes de Saxonia. | *Filij Naturales Regij.*
Georgius Eques de Saxonia. |
Comes Rutowski. |
Dux Albani in *Italia*.
Dux Basilius Dołhoruki in *Moschovia*.
Dux Wasil Wolodimirowicz Dołhoruki in *Moschovia*.
Dux Sergius Dołhoruki in *Moschovia*.
Dux Joannes Alexieiewicz Dołhoruki in *Moschovia*.
Erdmannus Comes de Promnitz.
Comes Königseck.
Comes de Wratislau.
Leopoldus Comes de Waldszteyn.
Generalis Groncau in *Prussia*.
Georgius Dux Trubecki in *Moschovia*.

Comes Basilius Sołtykow in *Moschovia.*
Comes Gabriel Gołowkin Cancellarius in *Moschovia.*
Jacobus Comes Bruss Feltmareschalcus in *Moschovia.*

Equites Extincti.

Petrus I. Czar Moschoviæ.
Catharina ejus Conjunx.
Petrus II. Czar Moschoviæ.
Alexius Princeps hæreditarius Moschoviæ.
Josephus Dux Saxoniæ.
Alexander Dux Mężykow.
Petrus Szafirow.
Dux Galiczyn in *Moschovia.*

Co-

Comes Tolstoy in *Moschovia.*
Generalis Seyszan in *Hispania.*
Hieronymus Lubomirski Castellanus Cracoviensis Supremus Dux Exercituum Regni.
Adamus Sieniawski Castellanus Cracoviensis Supremus Exercituum Regni Dux.
Georgius Lubomirski Palatinus Cracoviensis.
Casimirus Sapieha Palatinus Vilnensis.
Stanislaus Morsztyn Palatinus Sandomiriensis.
Stanislaus Donhoff Palatinus Polocensis Campi-Dux Exercituum M. D. L.
Alexander Łaszcz Palatinus Bełzensis. Steph:Potocki Palatin9 Bełzen.

Sta-

Staniſlaus Rzewuſki Palatinus Bełzenſis Supremus Exercituum Regni Dux.

Joannes Dux Radziwiłł Palatinus Novogrodenſis.

Staniſlaus Chomętowſki Palatinus Mazoviæ Campi-Dux Exercituum Regni.

Jacobus Rybińſki Palatinus Culmenſis.

Petrus Kczewſki Palatinus Marieburgenſis.

Caſimirus Bielińſki Supremus Mareſchalcus Regni.

Carolus Dux Radziwiłł Cancellarius M. D. L.

Joannes Przebendowſki Supremus Theſaurarius Regni.

Jacobus Dunin Referendarius Regni.

Vladiſlaus Dąbſki Mareſchalcus Curiæ Regni

Jacobus Comes de Fleming Præfectus Stabuli M. D. L.

Dux Replin Gubernator Rigenſis.

Gregorius Dux Dołhoruki.

Comes de Fitzdom Præfectus Stabuli Saxoniæ.

Chriſtophor, Comes de Vatzdorf Præfectus Ærarij Saxoniæ.

Alios præſertim in exteris è vivis ſublatos, ſi qui ſunt non memoramus nam ad manum non habemus.

CAPUT XII.

Syllabum Regum Poloniæ, Senatorum ac Officialium Regni exhibens.

CUm verò Sereniſſimi & Potentiſſimi Reges Poloniæ Supremi Ordinis Di-

Diſtributores & Caput ſint, Senatores verò, Miniſtri Statûs, Officiales ac Dignitarij Regni, Magni Ducatûs Litvaniæ; eisquè annexarum Provinciarum, ſint quoddam Seminarium, ex quibus creantur Equites ejuſdem Ordinis, non devium credo continuam Regum Succeſſionem, ac Senatorum & Officialium Ordinem recenſere.

Reges Poloniæ.

Lechus I.
Viſimirus.
Duodecem Palatini.
Cracus.
Lechus II.
Venda.
Duodecem Palatini.
Premyſlaus ſeu Leſco I.

Leſcus II.
Leſcus III.
Popielus I.
Popielus II.
Piaſtus.
Zemovitus.
Leſcus IV.
Zemomyſlus.
Mieciſlaus I. Princeps Chriſtianus.
Boleſlaus Chrobry primus Rex Poloniæ.
Mieciſlaus II. Rex Poloniæ.
Caſimirus I. Rex.
Boleſlaus II. Rex dictus audax, exauthoratus: ob necem Divi Staniſlai.
Vladiſlaus Hermannus illius Frater Princeps.
Boleſlaus III. Krivouſtus.
Vladiſlaus dictus Sputator.

Boleſlaus IV. Criſpus.
Mieciſlaus III. Senex.
Caſimirus II. Juſtus.
Leſcus V. albus.
Boleſlaus Pudicus.
Leſcus Niger.
Henricus Probus.
Premyſlaus II. qui titulum Regium reaſſumpſit.
Venceſlaus Bohemus.
Vladiſlaus Locticus.
Caſimirus Magnus.
Ludovicus Hungarus.
Hedvigis cum Vladiſlao Jagiellone.
Vladiſlaus Jagiellonides.
Caſimirus Jagiellonides.
Joannes Albertus.
Alexander.
Sigiſmundus. I.

Sigiſmundus II. Auguſtus.
Henricus Valeſius.
Stephanus Bathoreus.
Sigiſmundus III.
Vladiſlaus IV. Sigiſmundi Filius.
Joannes Caſimirus.
Michaël Korybuth Wiſzniowiecki.
Joannes III. Sobieſki.
Auguſtus II. Elector Saxoniæ.

Senatores & Miniſtri Statûs Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ ſuo Ordine.

Archiepiſcopus Gneſnenſis Primas, primusq; Princeps.
Archiepiſcopus Leopolienſis.

Epiſcopus Cracovienſis Dux Severiæ.
Epiſcopꝰ Vladiſlavienſis & Pomeraniæ.
Epiſcopus Vilnenſis. |
Epiſcopus Poſnanienſis. | alternant.
Epiſcopus Plocenſis.
Epiſcopus Varmienſis & Sambienſis. S. R. I. Princeps. | alternant.
Epiſcopus Luceorienſis & Breſtenſis. |
Epiſcopus Premyſlienſis.
Epiſcopꝰ Samogitiæ ſeu Miednicenſis.
Epiſcopus Culmenſis & Pomeraniæ.
Epiſcopus Chełmenſis.
Epiſcopus Kijovienſis & Czernichovienſis.
Epiſcopus Camenecenſis.
Epiſcopus Smolenſcenſis.
Epiſcopus Livoniæ & Piltinenſis.

Se-

Senatores Sæculares.

Caſtellanus Cracovienſis.
Palatinus Cracovienſis.
Palatinus Poſnanienſis. |
Palatinus Vilnenſis | alternant.
Palatinus Sandomirienſis.
Caſtellanus Vilnenſis.
Palatinus Caliſſienſis.
Palatinus Trocenſis.
Palatinus Siradienſis.
Caſtellanus Trocenſis.
Palatinus Lencicenſis.
Capitaneus Generalis Samogitiæ.
Palatinus Breſtenſis, Kujavienſis.
Palatinus Generalis Kijovienſis.
Palatinus Inovladiſlavienſis.
Palatinus Generalis Ruſſiæ.
Palatinus Volhyniæ.

Pa-

Palatinus Podoliæ.
Palatinus Smolenſcenſis.
Palatinus Lublinenſis.
Palatinus Polocenſis.
Palatinus Bełzenſis˜.
Palatinus Novogrodenſis˜.
Palatinus Plocenſis˜.
Palatinus Vitebſcenſis.
Palatinus Generalis Maſoviæ.
Palatinus Podlachiæ.
Palatinus Ravenſis˜.
Palatinus Breſtianenſis˜.
Palatinus Culmenſis˜.
Palatinus Mściſławienſis˜.
Palatinus Marieburgenſis.
Palatinus Bracławienſis.
Palatinus Pomeraniæ.
Palatinus Minſcenſis˜.
Palatinus Livoniæ.

Palatinus Czernichovienſis˜.
Notandum quòd tres Caſtellani nimirùm Cracovienſis, Vilnenſis, & Trocenſis, & unus Capitaneus Samogitiæ inter Palatinos ſtalla ſua in Senatu occupant.

Caſtellani Majores.

Caſtellanus Poſnanienſis.
Caſtellanus Sandomirienſis.
Caſtellanus Caliſſienſis.
Caſtellanus Woynicenſis˜.
Caſtellanus Gneſnenſis.
Caſtellanus Siradienſis˜.
Caſtellanus Lencicienſis.
Caſtellanus Samogitiæ.
Caſtellanus Breſtenſis Cujavienſis.
Caſtellanus Kijovienſis˜.
Caſtellanus Inovladiſlavienſis.

Castellanus Leopoliensis.
Castellanus Volhyniæ.
Castellanus Kamenecensis.
Castellanus Smolenscensis.
Castellanus Lublinensis.
Castellanus Polocensis.
Castellanus Belzensis.
Castellanus Novogrodensis.
Castellanus Plocensis.
Castellanus Witebscensis.
Castellanus Czernensis.
Castellanus Podlachiæ.
Castellanus Ravensis.
Castellanus Brestianensis.
Castellanus Culmensis.
Castellanus Mścislaviensis.
Castellanus Elbingensis.
Castellanus Braclaviensis.
Castellanus Gedanensis.

Castellanus Minscensis.
Castellanus Livoniæ.
Castellanus Czernichoviensis.

Officiales Majores seu Ministri Statûs Senatores.

Supremus Mareschalcus Regni.
Supremus Mareschalcus M. D. L.
Cancellarius Regni Supremus.
Cancellarius M. D. L. Supremus.
Procancellarius Regni.
Procancellarius M. D. L.
Thesaurarius Supremus Regni.
Thesaurarius Supremus M. D. L.
Mareschalcus Curiæ Regni.
Mareschalcus Curiæ M. D. L.

Castellani Minores.

Castellanus Sandecensis.
Castellanus Medirecensis.
Castellanus Vislicensis.
Castellanus Biecensis.
Castellanus Rogozinensis.
Castellanus Radomiensis.
Castellanus Zavichostensis.
Castellanus Lendensis.
Castellanus Sremensis.
Castellanus Zarnoviensis.
Castellanus Małogostensis.
Castellanus Wielunensis.
Castellanus Premysliensis.
Castellanus Haliciensis.
Castellanus Sanocensis.
Castellanus Chełmensis.
Castellanus Dobrzynensis.

Castellanus Połaniecensis.
Castellanus Premetensis.
Castellanus Crivinensis.
Castellanus Czechoviensis.
Castellanus Naclensis.
Castellanus Rospiriensis.
Castellanus Biechoviensis.
Castellanus Bidgostiensis.
Castellanus Bresinensis.
Castellanus Kruświcensis.
Castellanus Oświećimensis.
Castellanus Camenensis.
Castellanus Spicimiriensis.
Castellanus Inovlodensis.
Castellanus Kovaliensis.
Castellanus Santocensis.
Castellanus Sochaczoviensis.
Castellanus Varsaviensis.
Castellanus Gostinensis.

Castellanus Visnensis.
Castellanus Racionscensis.
Castellanus Sierpscensis.
Castellanus Wiszogrodensis.
Castellanus Rypinensis.
Castellanus Zakroczymensis.
Castellanus. Ciechanoviensis.
Castellanus Livensis.
Castellanus Słonscensis.
Castellanus Lubaczoviensis.
Castellanus Konariensis Siradiensis.
Castellan9 Konariensis Łenczycen:
Castellanus Konariensis Kujaviensis.

Officiales Equestris Ordinis Regni & M. D. L.

Supremus Dux Exercituum Regni,
Su-

Supremus Dux Exercituum M. D. L.
Dux Campestris Exercituum Regni.
Dux Campestris Exercituum M. D. L.

Si non sunt Senatores sunt Ministri Status Equestris Ordinis.

Secretarius Major Regni | Ecclesiastici.
Secretarius Major M.D.L. |
Referendarius Regni Spiritualis.
Referendarius M. D. L. Spiritualis.
Referendarius Regni Sæcularis.
Referendarius M. D. L. Sæcularis.
Succamerarius Regni.
Succamerarius M. D. L.
Thesaurarius Curiæ Regni.
Thesaurarius Curiæ M. D. L.

Ve-

Vexillifer Regni Supremus.
Vexillifer M. D. L. Supremus.
Ensifer Regni.
Ensifer M. D. L.
Præfectus Stabuli Regni.
Præfectus Stabuli M. D. L.
Præfectus Culinæ Regni.
Præfectus Culinæ M. D. L.
Pocillator Regni.
Pocillator M. D. L.
Incisor Regni.
Incisor M. D. L.
Dapifer Regni.
Dapifer M. D. L.
Subdapifer Regni.
Subdapifer M: D. L.
Pincerna Regni.
Pincerna M. D. L.
Venator Supremus Regni.

Ve-

Venator M. D. L. Supremus.
Notarius Campestris Regni.
Notarius Campestris M. D. L.
Castrorum Regni Metator.
Castrorum M. D. L. Metator.
Præfectus Vigilium Regni.
Præfectus Vigilium M. D. L.
Magister Artileriæ Regni.
Magister Artileriæ M. D. L.
Notarij quatuor M. D. L.
Regens Cancellariæ Majoris Regni.
Regens Cancellariæ Majoris M. D. L.
Regens Cancellariæ Minoris Regni.
Regens Cancellariæ Minoris M. D. L.
Vexillifer Curiæ Regni.
Vexillifer Curiæ M. D. L.
Instigator Regni.
Instigator M. D. L.
Vice-Præfectus Stabuli Regni.

Vi-

Vice-Præfectus Stabuli M. D. L.
Notarius Decretorum Cancellariæ Regni.
Notarius Decretorum Cancellariæ M. D. L.
Vice-Instigator Regni.
Vice-Instigator M. D. L.
Notarius Thesauri Regni.
Custos Thesauri Regni.
Metator Castrorum Campestris Re-gni.
Metator Castrorum Campestris M. D. L.
Præfectus Vigilium Campestris Regni.
Præfectus Vigilium Campestris M. D. L.
Venator Curiæ Regni.
Venator Curiæ M. D. L.

Notarius Major Regni.
Quæstor M. D. L. aliàs Skarbny.
Hi omnes Officiales ex Nobilissimis accipiuntur Familijs; quidam de loco, non habendo certum lege præscriptum, inter se disputant.

Dignitarii Palatinatuum ac Terrarum Regni & Magni Ducatûs Litvaniæ.

Succamerarius.
Capitaneus cum Jurisdictione, in Majori verò Polonia vocatur Generalis Majoris Poloniæ, Capitane-

us Cracoviensis, Generalis Minoris Poloniæ, Capitaneus Camenecensis dicitur Generalis Podoliæ.

Vexillifer.

Judex Terrestris.

Dapifer.

Pocillator.

Subjudex Terrestris.

Subdapifer.

Pincerna.

Venator.

Tribunus.

Notarius Terrestris.

Ensifer.

Officiales Castrenses.

Thesaurarij Minores.

Quæstores sive Custodes Thesauri Capitanei sine Jurisdictione.

In Magno Ducatu Litvaniæ sunt Mareschalli Districtuum, & Tivuni Palatinatuum & plures alij diversi à Polonicis Officiales, quos longum esset enumerare. In Litvania Capitaneus præcedit passim Succamerarium. In Prussia quoq; Ensifer, tum Thesaurarius seorsivus; posterioris Officium sæpius cum Senatoria ejusdem Provinciæ dignitate conjungi solet. Ejusdem Ducatûs publicorum congressuum perpetuus Præses est Episcopus Varmiensis, Sacri Romani Imperij Princeps.

Hos sequuntur Officiales Militares domestici & externi Authoramenti, veluti Colonelli, Regimentarij, Generales locum tenentes, Majores &c: Sic libertas campi Domina, veluti colle-

ctis ex campeſtri amplitudine diverſis floribus, diverſorum Officialium faſcibus Polonam ornat Rempublicam: ut eam Orbi Reginam exhibeat in veſtitu ſplendido, ipſa varietate conſpicuo. Si verò ſidera ſunt flores Cælorum; certè polares hortos æmulatur Polonia, ubi inter pulcherrimam dignitatum ſubordinationem, alia eſt claritas Solis, alia Lunæ, alia ſtellarum: imò ſtella à ſtella differt in claritate. Enimverò cede funeſta ſemper diſcordia! delectat equidem conſona Statuum varietas, ſed cruciatur mutua diſſenſio.

CO-

CEREMONIALE
Vel
MODUS

Recipiendi Milites ſeu Equites, ad inclitum & Heroicum in Polonia Ordinem, Immaculatæ Virginis MARIÆ, Cruce rubea, ex una parte effigie Deiparæ ſine labe originali Conceptæ, ex altera ſimulacro Aquilæ Albæ inſignita, munitos.

Ab Urbano VIII. Pontifice Maximo, Vladiſlao IV. Poloniæ & Sveciæ Regi, circa Solennem primæ inaugurationis actum, & in poſterum, præſcriptus.

Per Adalbertum verò Ducem Radivilium Cancellarium M. D. L. unà cum Statutis Ordinis, ad conformitatem legum

gum

gum Patriarnm accomodatus, & jussu suæ Majestatis dispositus.

Anno 1637.

Ex Musæo Gryphiano. desumptus.

Præparatio Ecclesiæ.

1. Sedes Serenissimi Regis cum solito Baldachino & clypeo cum armis ejusdem Majestatis accomodetur.
2. Sedes Serenissimi Principis Casimiri è Regione suæ Majestatis, cum clypeo & armis, eidem Serenissimo ponatur.
3. Jllustrissimis D.D. Equitibus Candidatis, loca cum clypeis & armis eorundem supra singulorum sedes affixis, præparentur in sinistra Ecclesiæ parte, ubi Princeps Serenissimus considerit.
4. Ad Altare majus in facie ejusdem præ-

præparetur Faldistorium pro sua Majestate, quò sua Majestas accedet, & genua flectet, usq; ad impositionem habitûs Militaris ab Jllustriissimo Archiepiscopo conferendi.

5. Non longe inde ad partem Evangelij versùs Altare S. Bennonis, præparetur Faldistorium, seu Theatrum, uno gradu à terra elevatū, & in eo Sedes Regia ponatur, quam conscendet Serenissimus, jam Militari habitu vestitus, alijs eundem habitum Militarem impositurus.
6. Supra Altare majus ponantur secundùm staturam singulorum Equitum præparati habitus ab Jllustrissimo Archiepiscopo benedicendi, priùs quàm sua Majestas cum Jllustrissimis Candidatis Templum ingrediatur.

Progressus suæ Majestatis Regiæ ad Ecclesiam è Palatio.

1. Comitatus Aulicus solito more præcedet, sequentur Candidati, quos immediatè comitabitur Serenissimus Rex, quem præcedet Serenissimus Casimirus.
2. Serenissimo ingrediente Ecclesiam, canetur à Choro figuraliter, sed expressis omnibus verbis Psalmus 79. totus.
3. Ubi Serenissimus cum Candidatis ante majus Altare constiterit, legetur breve Apostolicum sive ab ipso Jllustrissimo Nuntio Apostolico, sive ab alio quopiam, cui idem Jllustr: commiserit legendum.
4. Lecto Brevi Apostolico, Serenissimus Rex genua flectet supra Faldistorium

ad hoc præparatum: flectet paulò inferiùs, & Serenissimus Princeps Casimirus, alijq; Jllustrissimi Equites candidati.

5. Jllustrissimus Archiepiscopus Pontificaliter vestitus, dicet: *Veni Sancte Spiritus*, &c: Vers: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* &c: Resp: *Et renovabis faciem terræ.* Vers: *Domine exaudi orationem meam.* Resp: *Et clamor meus ad te veniat.* Vers: *Dominus vobiscum.* Resp: *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

DEUS qui corda fidelium S. Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus consolatione semper gaudere. Per Christum Dominum nostrum.

OREMUS.

DEUS in cujus manu ſunt corda Regum, inclina ad preces humilitatis noſtræ, aures miſericordiæ tuæ, & famulo tuo N. Regimen Sapientiæ tuæ impone, ut hauſtis de tuo fonte conſilijs, & tibi placeat, & ſuper omnia Regna præcellat: te toto corde perquirat, & quæ dignè poſtulat, aſſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

6. Orationibus finitis cantabitur *S. Evangelium* S. Lucæ *Cap:* 10.
7. Sequentia ejuſdem Evangeliſtæ: *In illo tempore deſignavit Dominus, & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem Civitatem & locum: &c:*
8. Cantatâ *Epiſtolâ*, locò *Gradualis* cantabitur: *Veni Creator Spiritus* &c: Jlluſtriſſimus Antiſtes interrogabit? *Quid quæris?* Reſp: flexis genibus: *Quæro effici Miles Beatiſſimæ Virginis, mihiq; ad DEI, ejuſq; honorem cooptare Milites.*

Es ne paratus corde & ore Militiam ſuſcipere? Reſp: *Sum.*

Vis ne Regni tui ſalutem, dignitatem, jura & commoda, poſt DEUM, ejusq; Deiparæ Virginis, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ honorem, præ oculis habere? Reſp: *Volo.*

Vis ne vires tuas conſerre, & pro virili obviare, ſi bellum à barbaris & infidelibus tibi ingruat? Reſp: *Volo.*

Vis ne curare, ut Milites Ordinis tui, ſtipēdijs in bello contenti ſint, ne à quoquam quidpiam violenter extorqueant, & à rapi-

rapinis pro posse tuo eos arcere? Resp: *Volo.*

Vis ne cultum Deiparæ promovere, & vel cum vitæ periculo te opponere, ne DEUS ejusq; Sanctissima Mater MARIA te audiente blasphemetur? Resp: *Volo.*

Vis ne Statuta Ordinis, & amorem Fratribus tuis debitum servare? Resp: *Volo.*

Clerus dicet: *Deo gratias.*

Post hæc Serenissimus gladium suum evaginatum tradet in manus Jllustrissimi Antistitis.

Benedictio Ensis.

Adjutorium nostrum in Nomine Domini, &c:

OREMUS.

EXaudi quæsumus Domine preces nostras,

stras, & hunc ensem, quo se famulus tuus hic cingi desiderat, Majestatis tuæ dexterâ dignare benedicere, quatenus possit esse Defensor Ecclesiarum, & Viduarum, Paganis, alijsq; sibi insidiantibus sit terror & formido, præstans ei æque prosecutionis & justitiæ defensionis effectum: Per Christum Dominum nostrum, Amen.

OREMUS.

BEnedic Domine S. Pater Omnipotens æterne DEUS, per invocationem Nominis Tui, & pretiosissimæ Parentis Filij tui, absq; originali peccato Conceptæ, per adventum Christi Filij tui Domini nostri, & per donum Spiritus S. hūc ensem, ut hic famulus tuus, qui illo, die hodierna, Tua concedente gratia præcingitur, visibiles inimicos

conculcet, victoriâq; potitus semper maneat illæsus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Hoc finito porrigit Jllustris: Archiepiscopus ensem dicendo. *Accipe N. Sanctum Gladiū, In Nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritûs S. ✠ Amen: ut utaris eo ad defensionem tuam, & Sanctæ Ecclesiæ DEI, & ad confusionem inimicorum Crucis Christi, ac fidei Christianæ, & quantùm imbecillitas humana permiserit, eo neminem injustè lædas, DEI ejusq; Immaculatæ Virginis MARIÆ honorem defendas; quod ipse præstare dignetur. Qui cum Patre & Spiritu Sancto regnat, DEUS: per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

In vaginam ponendo gladium, dicet Jllustris: *Accingere gladio tuo super femur*

mur tuum potentissimè. In Nomine Domini JESU Christi, ejusq; SS. Virginis Matris, & attende quòd Sancti non in gladio, sed per fidem acquirant Regna.

Post hæc induet illum pallio Militari, jam à SSmo PONTIFICE benedicto, & dicet sequentia verba.

Induo te in vestem Militarem candidam, quo cognoscaris Miles esse Immaculatæ Virginis & Matris nostræ, quæ te suis precibus defendat, & vitam æternam tibi impetret; Per Christum Dominum nostrum Amen.

Deinde imponet Crucem à torque pendentem, à SSmo benedictam, & dicet: *Accipe Crucem JESU Christi Redemptoris nostri, Lilijs Immaculatæ Virginis Matris ejus sine peccato Conceptæ innexam, signaculum salutis & victoriæ nostræ*

noſtræ, ut illam portans, efficiaris Miles ejus, & ante te fugiant omnes barbaræ nationes.

Deniq; imponet galeam verbis ſequentibus: Accipe galeam, qua te defendas contra inimicorum jacula, & patienter toleres illata, ut priùs crepet galea, quàm fugias.

Hoc peracto dicet Jlluſtriſſimus Archiepiſcopus unà cum adſtante Clero. Benedictus Dominus, qui docet manus meas ad prælium, & manus meas ad bellum, Miſericordia mea, & Refugium meum, Suſceptor & Liberator meus, Protector meus, & in ipſo ſperavi, qui ſubdit populum meum ſub me.

Gloria Patri & Filio, &c.

Verſ: *Salvum fac ſervum tuum Domine.*

Reſp: *DEUS meus ſperantem in te.*

Verſ: *Eſto ei Domine turris fortitudinis.*

Reſp: *A facie inimici.*

OREMUS.

BEnedicte S. Pater Omnipotens æterne DEUS, qui cuncta ſolus ordinas, & rectè diſponis, qui ad coërcendam malitiam & improbitatem malorum, & tuendam juſtitiam, uſum gladij in terris hominibus tua diſpoſitione permiſiſti, & Militarem Ordinem ad populi protectionem inſtitui voluiſti, quiq; per Beatum Joannem, Militibus ad ſe in deſerto venientibus, ut neminem concuterent ſed proprijs contenti eſſent ſtipendijs, dici feciſti. Clementiam tuam ſuppliciter exoramus, ut ſicut David puero tuo, Goliath ſuperandi

largitus es, facultatem, & Judam Machabeum de feritate gentium Nomen tuum non invocantium, triumphare fecisti, ita & huic famulo tuo N. qui noviter Jugo Militiæ colla supponit, pietate Cælesti vires ac robur, ad Fidei, Spei, & Charitatis augmentum, tui timorem pariter ac amorem, humilitatem, perseverantiam, obedientiam, & patientiam largiaris, cunctaq; in eo rectè disponas, ut neminem cum gladio isto, vel alio injustè lædat, sed omnia cum eo justa & recta defendat, sicut ipse ad novum militarem provehitur honorem, ita veterem deponens hominem, ut te timeat & rectè colat, perfidorum consortia vitet, & suam in proximum charitatem extendat, Præposito suo in omnibus rectè obediat, & suum in cunctis

justè

justè officium exequatur, supplicamus per invocationem Nominis tui, atq; ejusdem unigeniti Filij Domini nostri JESU Christi, quem pro salute generis humani, integritate Virginis MARIÆ absq; originali peccato Conceptæ servatâ, Incarnari voluisti, quatenus precibus ejusdem Sacratissimæ Virginis, quicunq; eandem misericordiæ Reginam, & gratiosissimam Dominam nostram, in hoc Militari Ordine supplicister honorare studuerint, & de instantibus periculis eruantur & in affectu Divinæ Majestatis tuæ, de commissis & omissis veniam impetrent, atq; mereantur in præsenti gratiam quam desiderant adipisci, & in futuro perpetua salute cum electis gaudere valeant. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Hoc

Hoc peracto Jllustrissimus Archiep: Serenissimo Regi, novi Ordinis Militaris Principi, dabit pacis osculum.

Hoc finito Serenissimus solium ante Altare S. Bennonis præparatum conscendet, & per designatum Ordinis Pænitentiarium declarabit se & suos Milites.

Promulgatis Candidatis Jllustris: Militibus, accedet primus videlicet Serenissimus Princeps Casimirus, & flectet genua ante Solium Serenissimæ Majestatis, quem sua Majestas interrogabit. *Vis ne portare Crucem Christi, & pro ea fortiter pugnare?* Resp: *Volo.* Vers: *Es ne paratus corde & ore militare obsequium suscipere?* Resp: *Sum.*

Q. *Vis ne Serenissimi Regis Regni ac Reipublicæ Poloniæ salutem, dignitatem,*

tem, & commoda, secundùm Leges Patrias, post DEUM, ejus Deiparæ Virginis, Sanctæq; Matris Ecclesiæ honorem præ oculis habere? Resp: *Volo.*

Q. *Vis ne pro virili obviare, & vires tuas conferre, si bellum à barbaris & infidelibus contra Rempublicam ingruat?* Resp: *Volo.*

Q. *Vis ne stipendijs in bello contentus esse, & curare ne à quoquam quidpiam violenter extorqueatur, imò alios à rapinis pro posse tuo arcere?* Resp: *Volo.*

Q. *Vis ne promovere cultum Deiparæ, & vel cum vitæ periculo te opponere, ne DEUS ejusq; SSma Mater, te audiente blasphemetur?* Resp: *Volo.*

Vis ne Statuta suscepti Ordinis, juxta leges Reipublicæ, & amorem cum Fratribus

tribus tuis debitum observare? Resp. *Volo.*

Clerus Resp: *Deo gratias.*

Tandem Miles ensem suum ex vagina protractum in manus Serenissimæ Majestatis tradet, quem sua Majestas versùs Altare ad terram inclinatum, ab Jllustrissimo Antistite benedicendum ostendet.

Jllustrissimus Archiepiscopus Crucem super eum faciet, & dicet. *Benedic Domine ensem hunc, ut possit esse defensor Ecclesiarum, Paganis & alijs sibi insidiantibus terror & formido, præstans ei æquè prosecutionis & justæ defensionis effectum. Per Christum Dominum nostrum, Amen.*

Deinde Serenissimus importet in vaginam, flectente genua Milite, dicendo verba. *Acci-*

Accipe N. S. Gladium. In Nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritûs S. ✠ Amen. Ut utaris eo ad defensionem tuam, & Sanctæ DEI Ecclesiæ, & ad confusionem inimicorum Crucis Christi, & Fidei Christianæ, & quantùm imbecillitas humana permiserit, eo neminem injustè lædas. DEI ejusq; Immaculatæ Virginis Matris honorem defēdas: Quod Ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Sancto Spiritu regnat DEUS, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Postea Serenissimus accepto pallio, jam benedicto, quod illi præsentabitur à Pænitentiario Ordinario, eodem induet flectentem Militem, & dicet hæc verba. *Induo te in vestem Militarem candidam, quò cognoscaris Miles esse Immaculatæ Virginis & Matris no-*

 stræ,

ſtræ, quæ te ſuis precibus defendat, & vitam æternam tibi impetret. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Deinde imponet Crucem à torque pendentem, dicendo. *Accipe Crucem JESU Chriſti Redemptoris noſtri, & Lilijs Immaculatæ Virginis Matris ejus ſine peccato Conceptæ innexam, ſignaculum ſalutis & victoriæ, ut illam portans, efficiaris Miles ejus.*

Demùm imponendo galeam, dicet: *Accipe galeam, qua te defendas contra inimicorum jacula, & patienter toleres illata, ut priùs crepet galea quàm tu fugias.*

Et ſic deinceps ſingulis usq; ad ultimum Militem expectantibus, reliquis ſtantibus ſecundùm ordinem, facie versùs ſuam Majeſtatem obversâ, omnibus

bus ſecundùm Ordinem abſolutis, ſua Majeſtas conſurget, & ſolium ſibi cum armis præparatum adibit. Sereniſſimus verò Princeps Caſimirus, cum reliquis Jlluſtriſſimis Equitibus ſuum quisq; obtinebit locum.

Poſt *Offertorium* Sereniſſimus Rex Altare accedet, & munus offeret, quem Jlluſtriſſimus Archiepiſcopus, iterum *Pacis oſculo* excipiet, ubi verò ſua Majeſtas ad ſuum locum rediêrit, Equites bini & bini prodibunt, & factâ primùm ad Altare, deinceps versùs ſuam Majeſtatem reverentiâ, munera ſua offerent, eodem *Pacis oſculo* ab Jlluſtriſſimo Archiepiſcopo excipiendi. Inde verò ſingula paria Solium ſuæ Majeſtatis accedent.

Sereniſſimus verò Rex manu ſua ſingulo-

gulorum tanget collum, dicendo: *Ecce vos Milites Ordinis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ ſine labe originali Conceptæ creatos, videte ergo ut quæ promiſiſtis verbo, impleatis opere.*

Demum ad ſua loca ſinguli redibunt; ubi tempus Communionis advenerit, primò ſua Majeſtas, deinde ſingula paria Equitum ad Communionem accedent. Finito Sacro, *Te DEUM Laudamus* intonabitur. Interim Proceſſio cum Venerabili Sacramento per Eccleſiam procedet; Equites immediatè Baldachinum Sanctiſſimi SACRAMENTI antecedent, à juniore incipiendo, usq; ad Sereniſſimum Principem Caſimirum cum cereis accenſis, ſua Majeſtas verò ſubſequetur.

Peracta Proceſſione & acceptâ ab

Jlluſtriſſimo Archiepiſcopo, poſt *Salvum fac* tertia benedictione, ad Palatium proceſſionaliter ibunt, interim Muſica reſonante, ac tormentis Bellicis, in plauſum reboantibus.

Ubi ad cubiculum ſuæ Majeſtatis venerint, Rex condeſcendet Solium, ſequem Nomine omnium Equitum, Senior alloquetur, gratulaturus ſuæ Majeſtati, & Orbi Chriſtiano felicia novi Ordinis auſpicia. Quibus ſua Majeſtas per Cancellarium reſpondebit.

Sequitur Convivium pro Jlluſtriſſimis Equitibus præparatum.

COROLLARIUM Celebriores in Christianitate Heroicos Ordines nunc, vel olim florentes succinctè enumerans.

Agni DEI Ordo in Svecia. Joannes Magnus Rex Sveciæ, Anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, die decima Julij, sub coronationem suam. Upsaliæ honoravit hoc Insigni plurimos Proceres. Torques constabat circulis coronatis, sustentatis à Leonibus, à quo dependebat Salvatoris Effigies in-

Agni DEI in Svecia 1564.

inferius verò Agnus DEI cum labaro, ut pingi solet cum inscriptione: *DEUS Protector noster*. Sed jam extinctus est.

Alæ Sancti Michàélis Ordo.

1171. In Portugallia. Institutus Anno Domini millesimo centesimo septuagesimo primo, per Alphonsum primum Regem Portugalliæ, in memoriam visibilis Protectionis hujus Sancti Archangeli, in conflictu contra Mauros, Anno millesimo centesimo trigesimo nono. Symbolum Ordinis fuit, Crux rubea in forma gladij, tum Lilia punicea vestibus albis assuta, cum Lemmate: *Quis ut DEUS?* aliqui scribunt Lilia extitisse au-

Torques Variorum Ordinum Principaliorum nunc Vigentium Genuine desineati. Fol 22



aurea & esse institutum Ordinem ab Alphonso Rege Portugalliæ, circa Annum millesimum centesimum sexagesimum quintum, super Pallijs albis Equitum conspiciebatur ala coloris purpurei in circulo radiato aureo. Sequebantur Institutum Sancti Benedicti & Cisterciensium. Sed & iste Ordo evanuit.

Alcantaræ in Hispania Equites orti sunt ex Ordine, quem Famesius-Fernandus unus è Procerib, Legionensibus, sub auspicijs Ferdinandi Regis instituit contra Mauros. Primùm inditum eis à Castello *nomen Sancti Juliani de Pyrario seu Du Poiries*. Rex Protectorem se Ordinis declaravit, dato diplomate Anno millesimo centesimo septuagesimo sexto, Pontifices autem *1176. in Hispania.*

Alexander tertius, & Lucius tertius Anno millesimo centesimo octogesimo tertio confirmaverunt. Utebantur Equites *Pyro viridi* in area ovali aurea, quam sustinebat Crux liliata viridis in scuto aureo, quæ deinde sola retenta est. Demùm Alcantaram ad fluvium Tagum concessit eis Alphonsus duodecimus; & quia locus ille prius ad Calatravenses spectabat; ob eam rationem hisce eos subjecit. Duas manicas ferreas ex Calatravensium hieroglyphicis assumpsisse dicuntur. Demùm obtinuêre, ut sinistræ parti pectoris imponerent Crucem liliatam viridem. Adrianus sextus in sui quondam Discipuli Caroli quinti favorem, tres Ordines, scilicet Sancti Jacobi, Calatravæ, & Alcantaræ, in perpetuum

Coronæ Castilianæ inseruit. Quam concessionem alij attribuunt Alexandro sexto in gratiam Ferdinandi & Isabellæ.

Alexandri Nevensis seu Newski Czari quondam Moschorum, à quibus ut Sanctus colitur, in Monasterio ad Nevam fluvium, institutus Ordo Anno millesimo septingentesimo vigesimo quinto à Catharina Vidua Petri primi Czari Moschoviæ, circa solennia Nuptiarum Filiæ suæ elocatæ Duci Holsatiæ Gottorpiensi; insignia Ordinis sunt, Tænia rubra cum Cruce ejusdem coloris icone dicti Alexandri insignita, nec non stella argentea acu picta ad sinistrum latus Equitum. In hunc Ordinem adlecti sunt ex Polonis, *Antonius Comes Sapieha Capita-* 1725. in *Moschovia.*

neus Merecensis, Petrus Sapieha Capitaneus Zdzitoviensis, & *Christophorus Urbanowicz Generalis Major Exercituum Russiæ.*

1645 in Svecia. *Amaranthæ Ordo* à Christina Regina Sveciæ institutus Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, Insigne Ordinis erat Circulus laureatus, in quo legebantur verba. *Dolce Nella Speranza*, in medio verò videbantur intermixtæ literæ *A.* adamantibus distinctæ. *Vladislaus quartus Rex Poloniæ fuit* de numero ejusdem Ordinis Equitum. Nomen sumpsit à certa Domicella hujus Nominis, Christinæ Reginæ chara. Et hic Ordo ampliùs non extat.

499 in Gallia. *Ampullæ seu Sancti Remigij in Gallia Ordo*, in memoriam allati Cælitûs ejusdem

dem

dem vasculi ad Baptismum Clodovæi Regis Galliæ, Anno quadringentesimo nonagesimo nono institutus. Hic Ordo quatuor Baronibus, de Terriger, de Bellestre, de Sonastre & de Lomversy Vasallis Abbatiæ Sancti Remigij (quæ Rhemis est) proprius notatur, Cruce aureâ opere encaustico albo ornatâ, cujus quatuor angulis totidem flores lilij inseruntur, ipsi verò Cruci incumbit effigies Columbæ ampullam manu porrectam rostro apprehendentis. Hanc Crucem ex fasciola serica nigra suspensam, tum Collo, tum etiam pallio affixam gestant, cùm ampulla ad Coronationem Regum defertur eandem comitantur.

Sancti Andreæ vel Cardui Ordo Scoticus est, cujus origo adscribitur appa- 1269 in Scotia.

ri-

ritioni factæ Regi Scotiæ, qui Crucem eo ſitu quo Sanctus Andreas Martyrium pertulit, lucidam in Cælo viderat, victoriæ adversùs Scotos augurium. Unde Crucem in arma & vexilla Scotica relatam referunt, & Equites titulo Andreæ inſtitutos. Torques conſtat floribus Cardui & folijs pluribus connexis dependente Sancti Andreæ Imagine in figura ovali cum inſcriptione. *Nemo me impunè laceſſit.* Refertur Inſtitutio hujus Ordinis ad Annum milleſimum trecenteſimum ſexageſimum nonum. Jacobus ſecundus Rex Angliæ jam fere collapſum reſuſcitavit, Anno milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo ſeptimo, ſignum dignitatis nunc eſt Tænia viridis Diagonaliter dependens, cum numiſmate Sancti

cti Andreæ Effigie ſignato.

S. Andreæ in Moſchovia Ordo inſtitutus eſt Anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo octavo à Petro primo Caro Moſchoviæ, dicunt enim Ruſſi hunc Sanctum Apoſtolum primò in illis oris prædicaſſe Evangelium. Inſignia Ordinis ſunt Crux decuſſatim confecta, cum Icone Divi Andreæ, quam Aquila biceps in pectore geſtat, ſupereminente Corona imperiali, pendet in Tænia cærulea undata diagonaliter à latere dextro, è Regione verò conſpicitur ſtella argentea in veſtibus Equitum, cujus medium Crux parva decuſſatim expreſſa acu picta occupat in campo cyneæo habens circumcirca inſcriptionem. *Petrus Czar & Authocrator totius Ruſſiæ.* Collatus eſt idemOrdo Sereniſſimo *Augu-*

ſto

1698 in Moſchovia.

ſto Secundo Regi Poloniæ, tum *Jacobo Comiti de Fleming Præfecto olim Stabuli M. D. L. nec non Joanni Comiti Sapieha Capitaneo Bobroyſcenſi Felt-Mareſchallo Exercituum Ruſſiæ.*

1355. in Sabaudia. *ANNUNTIATIONIS BEATISSIMÆ in Sabaudia*, Equites celeberrimi Authorem habent Amedæum ſextum Comitem Sabaudiæ Anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quinto. Amedæus verò octavus primus Dux Sabaudiæ conſecravit Ordinem Amori Divino, qui noſtræ Humanitati univit Verbum Æternum in Myſterio Sacroſanctæ Incarnationis. Torques ex quo dependet Imago Beatæ Virginis Annuntiatæ, ſubſtituta Imagini Sancti Mauritij Equitis, olim uſitatæ à Carolo tertio Anno milleſimo quingenteſimo decimo octavo, alij tamen neutram harum Iconum veterem eſſe, affirmant, cùm olim triplici tantum nodo intortus annulus dependeret. Conſtat inſigne quatuor aureis laminis, quas catenulæ ejuſdem metalli in modum laqueorum amoris: (ut dicitur) effigiatæ conjungunt. Inſcribuntur ſingulis literæ quaternæ F.E.R.T. quarum interpretatio ſic ſonat *Fortitudo Ejus Rhodum Tenuit*. A Carolo tertio Duce additæ ſunt quindecim roſæ argento & cocco tinctæ, ſolemnia Ordinis quotannis renovantur eo Feſto, cujus Nomen præfert. Equitum unuſquiſque Suprem9 Magiſter eſt Dux Sabaudiæ modernus Rex Sardiniæ.

Sancti Antonij Abbatis in Æthiopia celebris olim erat Ordo ab Imperatori- 370. in Æthiopia.

ribus Abyssinorum ad defensionem Fidei contra infideles institutus, ex ConsilioDivi Basilij Magni,cujus Regulam amplexi sunt Equites. Insula *Meròë* quam Nilus alluit, data est eis pro subsistentia à Claudio ImperatoreAbyssinorum, sive Presbytero Joannis, ut passim vocatur. Pontifices Pius quintus & Leo, eximijs Ordinem condecorârunt privilegijs, numerus Equitum excedebat tria millia, transijt quoq; in Europam principale habens Domicilium Viennæ in Delphinatu. Equites præcipui literam T. S. & Crucem Antonianam duplicem, alteram alteri impositam, reliqui unicam gestabant pro insigni; jam extinctus.

Sancti Antonij in Bavaria, Fundatus Ordo Torquatus millesimo trecente- 1382. in Hannonia.

si-

simo octogesimo secundo à Roberto Bavaro Comite Hannoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ, finis Ordinis erat bellare contra Turças, sed jam non subsistit.

Aquilæ albæ in Polonia à Vladislao Loctico Rege, Anno millesimo trecentesimo vigesimo quinto institutus Ordo, qui passim *Baltheus Militaris* antiquitùs vocabatur: Equites verò *aurei* dicebantur. Hunc jam ferè collapsum erexit Serenissimus Augustus Secundus Anno millesimo septingentesimo quinto, de quo plura edisserit præsens lucubratio. Non minor est virtus quàm vincere parta tueri: nec minor potentia cadenti humeros supponere mundo, quàm de novo sublunarem creare Machinam. Plus est suscitare mor- 1325. institutus in Polonia.

 tu-

tuos, quàm gignere vivos. Artificem commendat opus, dum ex ruinarum ruderibus, eruit molem recenti ſtructurâ venuſtiorem.

In Auſtria & Bohemia. *Aquilæ candidæ Ordo*, In Auſtria & in Bohemia, ſub Nomine diſciplinarum & Regula Sancti Baſilij, diverſus à Polonico invenitur tantùm in antiquitatum tabulis morſu tinearum arroſis: re ipſa pridem interijt. Non omnis Aquila Phænicis æmulatur felicitatem, identidem rejuveneſcendo.

1701. in Pruſſia. *Aquilæ nigræ in Pruſſia*, Ordo ortum ſuum debet Friderico primo, Anno milleſimo ſeptingenteſimo primo, ſymbolum Ordinis eſt: *ſuum cuiq́;* quòd innuit; Juſtitiam cuilibet à Principe eſſe adminiſtrandam. Numerus Equitum præter Principes Sangvinis, aſcendit

dit ad triginta; qui recipiuntur ad hunc Ordinem, aſſumunt priùs antiquiorem, *Generoſitatis* nomine nuncupatum. Signum dignitatis eſt Crux cærulea, habens in quolibet angulo Aquilam expanſam, in medio verò conſpiciuntur literæ F. R. Portatur ab Equitibus ſuper brachium ſiniſtrum diagonaliter, tum in Tænia lata coloris aurantij, ad latus verò reſplendet ſtella argentea cum Aquila nigra expanſa, quæ unguibus ex una parte tenet Coronam lauream, ex altera fulmen, inſcripto Lemmate ſuperiùs citato. Hic Ordo eſt in compatibilis cum alijs, exceptis Regibus & Principibus.

de L. Argata Equites in Regno Neapolitano à Ludovico tertio Rege, 1417. Neapoli.
fundati, ſed extincta in illo Regno An-

degavensis linea, hunc simul Ordinem suis obruit favillis. Institutus esse dicitur circa Annum millesimum quadringentesimum decimum septimum praedictus Ordo.

1365. in Britannia. *Armellini in Britannia Ordo recognoscit* Fundatorem Joannem quintum Ducem Britanniae, circa Annum millesimum trecentesimum sexagesimum quintum. Aliqui censent antiquiorem esse, & nonnisi eo tempore resuscitatum. Portabant Equites aureum Collare cum symbolo; *ad vitae tempora*, respondit symbolico quasi fatidico charácteri eventus; quid namq; velociùs tempore! quid vitâ quamvis longaevâ breviùs; minimè diuturnum fuit, quod finiri potuit, volat irrevocabile tempus, cum quo hujus quoq; Ordinis avolavit stabilitas. *Ar-*

Armellini in Arragonia Ordo à Ferdinando quinto Rege Arragoniae, dicitur esse conditus Anno millesimo quadringentesimo octogesimo tertio, cum ex Calabria eliminasset Ducem Lotharingiae, ac deprehensâ conspiratione Ducis Sessae & Ressani Cognati sui Regnum Neapolitanum pacificè possedisset. Symbolum erat: *Malo mori quàm faedari*, ad praemonendos Equites; mortem ipsis potiùs esse praeeligendam, quàm honoris atq; fidelitatis erga Principes jacturam. Abolitus est & hic Ordo. 1483. in Arragonia.

Avisij Equites Eborenses in Portugallia olim appellati, Eborâ enim Mauris ereptâ Alphonsus Rex ob loci commoditatem Calatravensibus eam dedit, ut perpetuis excursionibus Mauros in- 1104. in Portugallia.

infestarent: unde illis Eborensium adhæserat nomenclatura. Sed qui ex Magistris eorum tertius fuit, cùm Castrum *Avis* infidelibus extortum eisdem tradidisset: ab eo nomen deinceps traxerunt. Probavit Ordinem Innocentius tertius Anno millesimo ducentesimo quarto. Joannes Filius naturalis Petri Regis Lusitaniæ Magister Ordinis & deinde Rex, à Calatravensibus suos abstraxit. Tunc eis pro symbolo data est Crux viridis, trunco paulo longiori incisa, pyro Alcantarensium expuncto: Licet priùs gestaverint adinstar Calatravensium Crucem rubeam, adjectis duabus inferiùs aviculis. Aliter aliquantùm à *Favino & Paillot* edocemur: Nempe Institutum Ordinem, ab Alphonso, sub nomine

Con-

Confratrum Sanctæ MARIÆ Eborensis, & Calatravensibus subjectos fuisse Equites, postquàm hi, quidquid in Portugallia possidebant, ipsis eâ conditione cesserunt. Idem Author symbolum tribuit prædictis Equitibus, Crucem viridem Liliatam, additis infra duabus Aviculis nigris se invicem respicientibus.

Aurati Equites Jn Polonia hi vocantur, quos sub tempus Coronationis quilibet Regum Sarmatiæ in foro Cracoviensi, trino tactu gladij intra scapulas ad Equestrem honorem admittere solet, de quibus videantur plura superiùs. 1319. *in Polonia*

Aurei seu Aurati Equites Jn Germania, quos Jmperatores Germaniæ intra solemnia Coronationis terno iti-

dem

dem ictu gladij (quo Carolus Magnus utebatur) creare ſolent. Hi verò ſeliguntur ex Comitibus & Nobilibus Jmperij.

Aurei Equites in Polonia jidem vocabantur, qui & Balthei Militaris vel Aquilæ albæ, ex his præcipui memorantur in Annalibus Prandota, Odrovonſius, Zbigneus Oleſnicius, Albertus Brandeburgicus Dux in Pruſſia, Ejuſq; Filius Fridericus Albertus, Alexander Gvagninus Gubernator Vitebſcenſis, unus ex Familia, Teleſuſorum, Andreas in Codeń Sapieha Palatinus Polocenſis, plures Duces Maſoviæ ex Piaſtea familia, Albertus Dux Radivilius Cancellarius Lithvaniæ, Caſimirus Leo Sapieha Procancellarius ejuſdem Ducatûs, & alij plurimi ex Polo-

Polonis & Germanis Proceribus.

Aurei ſeu Aurati Equites dicuntur & illi, quibus Calcaria aurea vel deaurata à Principibus conferri ſolent; de his fuſiùs infra; imò retroactis temporibus omnium ferè ordinum Equites *aurei, au reati*, vel *aurati* nuncupabantur.

Aurei velleris Equites in Hiſpania & Germania principalem inter alios juremeritò locum obtinent; conditus hic ordo à Philippo Bono Duce Burgundiæ Anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo in Januario, cùm Jſabellam Portugallicam duceret, alludere forſan voluit ad vellus Gedeonis, de quo Judicum 6. & 37. & 39. Jndicio veterum tapetum; torques aureus conſtat pluribus igniarijs, & ſilicibus, unde Scintillæ proſiliunt, ſymbola *1430 in Hiſpania*

 adij-

adijciuntur: *Ante ferit quàm flamma micet.* Jtem: *pretium non vile laborum.* Jn Patronum aſſumpſêre Equites Sanctum Andream, fuerunt, initio Creati ſolùm viginti quinque: ſub Carolo autem quinto numerus ad quinquaginta unum excrevit, deinceps indefinita Libertas data eſt creandi eoſdem, ſecundùm Regis beneplacitum. Ex Polonis plures habuêre hunc Ordinem, ut pote Sereniſſimi Reges Poloniarum atq; Regij Principes. *Sigiſmundus primus, & Auguſtus, Sigismundus tertius, Vladiſlaus quartus, Joannes Caſimirus, Michael, Auguſtus ſecundus, Fridericus Auguſtus Regius Poloniæ & Electoralis Saxoniæ Princeps, Jacobus Ludovicus Joannis tertij Regius Poloniæ Princeps, Joannes*

Comes

Comes à Tęczyn Palatinus Sandomirienſis, Nicolaus Comes Sapieha Palatinus Minſcenſis, Alexander Soltan Theſaurarius M. D. L. Teſte Okolſcio.

Balnei Equites Jnſtituti dicuntur, Anno milleſimo quadringenteſimo per Henricum quartum Angliæ Regem, quos Reges creabant, cum varijs Cæremoniis. Ut autem practicati circa eorum creationes ritus innoteſcant, lege *Cambdenum.* Symbolum ordinis erat aureus circulus tres ejuſdem Metalli Coronas continens, cum Epigraphe: *tria in unum,* jam fere collapſus eſſe videbatur, cùm hiſce temporibus poſtliminiò in Anglia aſſurrexit. Ejuſdem Nominis celebres Equites inveniuntur apud Authores in Gallia & in Jtalia ſed jam 1400 in *Anglia, Gallia & Jtalia*

 non

non ampliùs illis in Regionibus existant.

1528. in Svecia. *Balthei militaris Equites* Jn Svecia conficiebant Torquem ex gladijs, qui suspensi è Baltheis, cruentata acie sese contingere videbantur. Author Ordinis dicitur esse Gustavus Primus Rex Sveciæ. Jnstitutio creditur contigisse intra Annos millesimũ quingentesimum Vigesimum octavum, & millesimum quingentesimum sexagesimum, iam extinctus.

1325. in Polonia *Balthei Militaris* Ordo in Polonia idem qui Aquilæ albæ, de quo videantur plura in præsenti opere.

1332. in Hispania. *Balthei seu Bandæ* Rubræ, vel ut alijs placet albæ in Hispania, Ordinem Alphonsus secundus Rex Castilliæ, Anno millesimo trecentesimo trigesimo secun

secundo, antequàm Regnum capesseret, in urbe Victoria seu Palentia instituit; quia eo die quo â Rege Magistro Ordinis creabantur. Equites fasciam rubram quatuor digitos latam, gestabant ex humero dextro sub lævum Brachium dependentem. Jn eum admittebantur Nobiles (exceptis primogenitis) qui decennium in militia exegissent. Defecit demùm. Huic adscriptus fuisse legitur ex Polonis *Georgius Sapieha Capitaneus Vilkinensis, Orator olim Poloniæ à Sigismundo Rege in Hispanias missus.*

Balthei Militaris Equites retroactis sæculis illi omnes dicebantur, quorumcunq; aureus Torques ab aliquo Principe oblatus, collum, aut latera diagonaliter præcingebat, imò cunctæ distin-

distinctivæ notæ Equestres ut poté Torques, Tæniæ alicuius Coloris, Cruces, gladij, Numismata, & his similia, *Balthea* passim nuncupabantur, Equites verò *Baltheati*

1119 *in Armenia.* *Sancti Blasij Ordo Torquatus & Beatæ Virginis.* Jn Curia Regum Armeniæ, quondam in Ptolemaide fuit celebris: traditur excitatus Anno millesimo centesimo decimo nono, verùm lapsis rebus Christianorum in Oriente, hic quoq; interijt.

1366 *in Svecia* *Sanctæ Brigittæ* Ordo erectus ab ipsa, circa Annum millesimum trecentesimum sexagesimum sextum, ab Vrbano quinto approbatus. Florebat olim in Svecia, sed cum vita Fundatricis suæ intercidit. Portabant Equites Crucem cæruleam flammis circumdatam.

Burgundicæ Crucis Equitum Author 1535 *in Burgundia.* est Carolus quintus in expeditione Africana, ubi Muleassem restituerat Regno Tuneti, quo victor ingressus est Anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto, præfatumq; Ordinem condidit in memoriam fortunatæ expeditionis; symbolum fuit Crux cum Jgniario seu chalybe scintillas è silice eliciente, & cum inscriptiône: *Barbaria.* Torques verò constabat similibus Crucibus, imposito igniario. *Varennus* ait fuisse runcinam, quæ decussatim scipionibus imponebatur. Jam interijt.

Cruciatæ Milites illi fuerunt, quicunq; zelo fidei ducti, pro recuperanda terra Sancta, sub signo Sanctæ Crucis contra infideles militabant.

1158 in Hiſpania *Calatravenſium Equitum* Ordo in Hiſpania erectus, Anno milleſimo centeſimo quinquageſimo octavo. Origo ejus inde deſumpta creditur, quòd cùm Oppidum Calatravam à Rege Sancio tertiò ſibi conceſſum, adverſùs infideles tueri non auderent; ad ejus defenſionem obtulerunt ſe Raymundus Navarrus Abbas Ciſtercienſium, & ex monachis ejus Didacus Valaſquez antea viri Militares. Nec temeraria fuit oblatio, nam brevi tempore ita locum communiverunt, ut formidabiles eſſent infidelibus. Jnſigne ordinis erat affixa albo pallio Crux rubicunda, adiectis inferiùs duabus manicis ferreis, quibus captivorum manus vinciri ſolent. Deinde hoc additum, ut extrema Crucis Liliis Ornarentur

rētur, Magiſteriū Ordinis vindicatū eſt ipſi Coronæ à Ferdinando Rege, per favorem Jnnocentij octavi Pontificis.

Calcarium Aureorum Ordo. eſt Antiquiſſimus, dicitur enim inſtitutus fuiſſe per Conſtantinum Jmperatorem, hoc verò certum eſt, eundem reformatum eſſe circa Annum milleſimum quingenteſimum quinquageſimum nonum, à Papa Pio quarto per bullam Autenticam, impertientem Equitibus ſummos honores. Subſiſtit hic Ordo hucuſq; Romæ, quem Pontifex ſolet conferre tanquam ſignum non exiguæ dignitatis. Hi quoque vocantur Equites Aurati. 1559. Romæ.

Calvariæ humanæ Ordinis, Author Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo aſſignatur Sylvius Nini 1652. in Germania.

Nirarot Dux Virtembergensis in Silesia, fuitq; communis utrique sexui Dux prædictus declaravit se esse primum Magistrum, & ejus conjugis Mater Sophia Magdalena de Piastis Lignicensis & Brigensis Ducissa, assumpsit titulum supremæ Magistræ. Collapsus jam fermè fuit: sed neptis Fundatoris Ludovica Elisabetha vidua Philippi Ducis Saxomersburgensis restabilivit eundem Anno millesimo septingentesimo Nono, ea conditione, ut pro semper supremæ Magistra Ordinis esset Principissa de Domo Virtembergica: Admittebantur omnes cujuscunq; Conditiônis Matronæ ad prædictum ordinem, non tam generis Jllustris, quam exemplaris vitæ spectata ratione. Nunc iam viri non admittuntur, tantùmmodo Fæminæ: habent tamen unum Equitem tanquam Directorem Ordinis, atq; Thesaurarium Archivorum pecùlij & Ornamentorum. Sunt ejsdem præscriptæ certæ Regulæ. Gestant Calvariam Capitis humani ex auro, in nodùlo nigro appensam Tæniæ albæ, cum his verbis: *Memento mori*. Si quam Sororem obire contigerit; aliæ tenentur per spatium unius Anni super albam Tæniam ordinis, alteram nigram ponere cum inscripto Nomine defunctæ

Calza Ordo Militaris Venetijs fuit conditus ex occasione similis in Hispania de *Banda* sive *Balthei* nuncupati ad exercitandam Juventutem in arte militari, terrâ ac mari. Quare institutio ipsius ad Annum millesimum quin- 1562 *Venetijs*.

quingentesimum sexagesimum secundum referri debet. Jam fere collapsum restauravit Respublica.

449 in Gallia. *Canis & Galli Gallinacei* Ordines Momorantiæ Familiæ, quos Burchardo Momorantio sub Philippo primo Rege scriptores appropriant. Torques characteristicus plura Cervina capita complectebatur, addita effigie Canis & Galli tanquam *fidelitatis & vigilantiæ* Symbolo. Nonnulli Authores adscribunt dictum ordinem alio ejusdem Nominis Momorantio Coævo Clodoveo Regi Galliæ. Hinc releganda est Institutio Ordinis ad Annum quadringentesimum nonagesimum nonum Jam exstinctus.

729 in Navarra *Canis Ordo* Anno septingentesimo Vigesimo secundo claruit in Regno Navar-

Navarriæ, in signum fidelitatis distributus, & hic desijt.

Cardui Mariæ Instituti sunt Equites à Ludovico secundo Duce Borbonio: cùm Aurelianensis & Burgundica factiones particularibus erectis Ordinibus se se insignivissent, juxta aliquos ob solennitatis nuptialis cum Anna Delphina Averniæ memoriam, Anno millesimo trecentesimo septuagesimo torques erat aureus complectens flores Lilij cum foliis cardui: Ex eo dependebat Crux cum inscriptione *Spes*; Jam evanuit. 1370 in Gallia.

S. Catharinæ de Monte Sinai Ordo fundatus à Pijs personis Principibus in Palestina Anno millesimo sexagesimo septimo, pro assecurandis itineribus peregrinantium ad Loca Sancta; 1067 in Palestina

con-

conferebatur à Priore Conventûs Sinaitani, more Gvardiani Hierosolimitani, visitantibus sepulchrum Divæ Catharinæ. Jnsigne Ordinis Crux Hierosolimitana, rotæ argenteæ sex radijs circumdatæ rubris Clavibus instructæ, inclusa.

1715 in Moschovia. *S. Catharinæ in Moschovia* Jnstitutus Ordo pro Fæmineo sexu, per Petrum Czarum Moschoviæ, Anno millesimo septingentesimo decimo quinto. Communicavit potestatem distribuendi eundem suæ consorti. Viget nunc in illa Curia, habetq; pro schemate numisma adamantibus distinctum, atq; ornatum effigie Divæ Catharinæ pendente diagonaliter in Tænia alba à brachio dextro, insuper à parte sinistra pectoris portatur

Stel-

Stella acu picta, Cruce in medio signata, cum hoc Lemmate: *Amore & fidelitate.*

Charitatis Proximi Jn Germania Ordo, debet suam Originem Jmperatrici modernæ Elisabethæ Christinæ, Anno millesimo septingentesimo octavo. Hæc enim antequam proficisceretur Viennâ in Hispanias ad hodiernum Maritum suum Carolum sextum, ArchiDucem protunc Austriæ, intentum bello, pro capienda Successione illius Regni, prædictum cætum instituit. Quicunque ex utroq; sexu ad ordinem admittitur, potest aliam etiam personam, in eundem adsciscere, dum modo præsentet eam Congressui & fide jubeat pro moribus ac fidelitate ejusdem. Crux ordinis est au 1708 in Germania

rea,

rea pendens super pect, in Ligula rubra.

1580 in Gallia. *Charitatis Christianæ.* Jn Gallia Ordo Anno millesimo quingentesimo octogesimo, ab Henrico tertio Rege Poloniæ ac deinde Galliæ fundatus est, in favorem eorum qui inter Bellicas vicissitudines, mutilatis membris, corporis vigorem amisissent, assignatis certis redditibus, quibus fruerentur. Jnsigne Ordinis fuit Crux alba Anchorata ex serico, acu picta, colore cæruleo circumdata; in medio verò apparebat Lilium aureum cum inscriptione: *pro fidelibus Servitijs*. Jta testatur *Morerius*. *Spenerus* verò scribit, quòd insigne fuerit Crux aurea vel argentea cum limbo cæruleo, cordi autem impressus rhombus cæruleus complectens Lilium aureum acu pictû. Etiam hic Ordo disparuit. *Cheru-*

Cherubini seu JESU Jn Svecia fùit Ordo Equitum, quorum Torques 1334 in Svecia.
duplex Jmaginibus Seraphinorum, & Cherubinorû invicem sese contingentium constabat, intermixtis Crucibus Patriarchalibus in honorem Upsaliæ: inde scilicet è torque dependebat Jcon Servatoris (juxta *Paillotum*) in Ovali figura cærulea, Nomine JESU literis aureis efformato, mediâ literâ sustinente Cruculam erectam: inferiùs verò cernebantur clavi argento & nigro colore picti. Jdem Author institutionem ordinis adscribit Magno tertio Regi Sveciæ, Anno millesimo trecentesimo trigesimo quarto. Jam non est.

Cyprius seu Lusinianus, aliàs Ordo 1195. in Cypro.
gladij & silentij, circa Annum mille-

ſimum centeſimum nonageſimum quintum, conditus eſſe atq; floruiſſe dicitur. Luziniana Domus creabat Equites, quibus de inſula Cypro, vel Domo Luziniana, vel Enſe nomen erat. Torques colligabat characteres maiores, dependente inde gladio, cujus vagina argento, capulus auro ſuperinducebatur, cum ſymbolo: *pro manutenenda iuſtitia.* *Paillotus* ex *Favino* inſtitutionem ordinis adſcribit ſpeciatim Gvidoni Regi, & delineat collare conſtans ſericis funiculis in plures laqueos amoris (ut vocant) contortis, ac literas S. R. aureas, aliquoties repetitas complectens. Ex his dependebat argenteus enſis cum capulo aureo in ovali figura cum epigraphe; *Securitas Regni.*

Cla-

Clavis Aureæ Equites illi vocantur apud Jmperatores & Reges, qui ſunt eorum Camerarij, portant clavem Auream infra cingulum, funiculis aureis intermixtam.

Claromontanæ Mariæ Virginis ſeu Częſtochovienſis in Polonia, ubi ſub ultimos motus domeſticos, invaluit mos portandi parvas Jcones Claromontanam Virginem exprimentes. Quare cuiuſcunque Conditionis perſonæ pietate flagrantes erga hunc Sacrum Locum, vel illum viſitantes ejuſmodi Jmagines ad pectus geſtare ſolent: ſic decet honorari Reginam Poloniæ. Pendeat è Clientali pectore, delineatio Turris iſtius, ex qua pendent mille clypei Lechiam protegentes. Portetur prope cor effigies *1716 in Polonia.*

Ii3 Domi-

Dominæ, Cui Sarmatia Cordi eſt. Jngenioſa dilectio coloratæ Symmetriæ, reverentialem cultum in ipſam perſonam refundit.

1379 in Hiſpania. *Columbæ & Rationis* Ordo natus circa Annum milleſimum trecenteſimum ſeptuageſimum nonum, vel (ut alijs placet) poſteriùs. Joannes primus Rex Caſtiliæ, ſeu ejus Filius Henricus tertius, ut aulicos ſuos competentibus generoſæ indoli exercitationibus aſſveſaceret, duos inſtituit ordines, alterum *Columbæ* nempe Sancti Spiritûs, alterum *Rationis* dictum. Torques aureus duplex, ſolaribus radijs alijs rectis alijs undoſis diſtinctus ornabatur. Columbina figura Aurea deorſum volante, ac die Pentecoſtes diſtribuebatur, Sed iam pridem interijt.

Conce-

Conceptionis Beatiſſimæ Ordo inſtitutus Mantuæ Anno milleſimo ſexcenteſimo decimo nono, à Duce Ferdinando & à Carolo Gonzaga Duce Nivernenſi, nec non ab Adolpho Comite Alliæ; ab Urbano octavo confirmatus, ejus inſigne ſcilicet Crucem dederat Equitibus Duciq; Nivernenſi ipſe Pontifex, Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto. Jam deſijt. 1619 in Jtalia.

1634 in Polonia. *Conceptionis Jmmaculatæ V. M.* Jn Polonia inſtauratus fuit Ordo à Rege Vladiſlao quarto, quem approbaverat Urbanus octavus Pontifex Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quarto, die quinta Julij. Numerus Equitum ſeptuaginta duorum eſt aſſignatus, & Rex Poloniæ ſupremus Ordinis Magiſter. Jnſigne erat Torques

ques ex puro auro, absq; ullis lapidibus cuius particulæ invicem concatenatæ alternatim repræsentabant, una quidem Lilium album, in medio radiorum, cum inscriptione: *Jnte*; altera verò fasciculos sagittarum Colligatarum Fasciâ albâ, inscriptis his verbis: *Unita virtus*. Dependebat à Torque Crux rubea, in cuius medio conspiciebatur Jmago Virginis Jnfantis candida, Draconem calcantis, adiecto Lemmate. *Vicisti, vince*? ex alia verò parte Crucis, *Aquila alba*: Hoc insigne singuli Equites portabant. Finem sibi propositum habuit iste cætus, Bellum adversùs Turcas. Tandem ejdem nunc substitutus antiquissimus ordo *Aquilæ albæ*. Sic venusta vicissitudine, succedunt sibi ordinatæ Astrorum

acies

acies! luna succedit soli, iterum solem habitura Successorem. Illa soror, hic frater est: similitudine, si non æqualitate certantes. Præter increatum Solem, etiamnum Albescens Aquila oculos Virgine figit in una, Lunâ pulchriore. Nequé satis candida foret, si in primo MARIANI Solis exortu maculam observaret.

Concordiæ Ordinem, Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo instituit Ernestus Marchio Brandeburgensis redux ex Hispania, post restabilitam pacem & unionem inter plures Europæ Principes, diversis partialitatibus distractos. Distribuebat Equitibus Cruces adamantibus coronatas, circulos aureos bipartitos medio sui includentes: ubi videbantur rami Oli- 1660. in Germania.

Kk væ

væ decussatim expressæ per geminas Coronas prominentes, supereminebat Pileus Ducalis, cum hac Epigraphe: *Concordat*; adjunctum quoq; fuit Nomen Fundatoris, & Annus Institutionis. Erat prædictus Ordo magnæ reputationis plurimiq; Principes ac Proceres, honori sibi ducebant admitti ad eundem.

802 in Germania. *Coronæ Regiæ* Ordinem in Germania, circa Annum octingentesimum secundum erexit Carolus Magnus pro Frisijs, qui adversùs Saxones fortiter rem gesserant: Insigne erat, Corona aurea, quam è regione stomachi gestabant Inaugurati cum symbolo, *Coronabitur Legitimè certans*. Jam defecit.

1030. In Palestina. *Cosmæ & Damiani*, Anno millesimo trigesimo fundati fuêre Equites in

in Palestina à pluribus personis pijs, quæ multa Nosocomia, pro infirmis erexerant Jerosolimis & alibi; hic ordo, Christianorum flore in Syria marcescente, emarcuit.

S. Crucis Jn Germania Ordo Fæminarum Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo, ab Eleonora Gonzaga Jmperatrice duxit exordium; causam institutionis obtulit violentum incendium Palatij Jmperialis Viennæ, ubi abdita quæq; consumentibus flammis, inter alia summi pretij cimelia, quæ igni vastatori cessêre in prædam; unica crux aurea Lignum Salvificæ crucis continens illæsa remansit; quam Augustissima Domus Austriaca, à sæculis pluribus venerabatur, atq; conservabat. Cumq; tam eximius Thesau- 1668 in Germania

 rus

rus non sine miraculo integer intra cineres inventus fuisset; prædicta Jmperatrix inauguravit Ordinem, in honorem Sanctæ Crucis, sub protectione Sacratissimæ Virginis & S. Josephi, quem deinde Clemens nonus Pontifex confirmavit, & Antistitem Viennensem constituit Directorem Spiritualem Ordinis. Quælibet Jmperatrix est magna Magistra. Matronæ tantùm Catholicæ Religionis, quæ recipiuntur, obligantur ad quædam opera pietatis. Anniversaria Solemnitas Ordinis celebratur die tertiâ Maij. Jnsigne portatur ad latus sinistrum, nimirum Crux aurea in ovali figura coccinei coloris, intra pectus Aquilæ imperialis bicipitis collocata. Leguntur quoq; hæc verba: *Salus & Gloria;*

Ligula, ex qua pendet ad latus munus Honorarium, est pulli coloris, Plures Matronæ Polonæ gestant eundem ordinem.

Cygni & Ciconiæ Ordo in Flandria. 711 in Flandriâ.
Richardus de Vasseburg facit mentionem Ordinis Ciconiæ simul cum Olore conjuncti; Morerius testatur Authorem illius Anno septingentesimo undecimo fuisse Theodoricum Ducem Cliviæ, qui unicam Filiam Beatricem reliquit. Hæc persecutionem passa à suis vicinis, omnibus bonis eam spoliare intendentibus, recepit se in arcem *Neusbourg* nuncupatam; ubi à strenuo Equite Elia validè defensa, eidem nupsit. Quoniam verò dictus Heros habebat in Clypeo depictam Cygni effigiem, ideo brevi

institutus est Ordo Cygni, atq; cum ordine Ciconiæ conjunctus. Jam ambo defecêre.

1229 in Dania *Danebrogij in Dania* Ordo creditur à quibusdam Authoribus, eandem cum ipso Regno habere Originem: sed certiùs est ac securiùs sequi sensum eorum, qui illius fundationem, contra infideles Livoniæ populos, Valdemaro secundo Regi adscribunt Anno millesimo ducentesimo decimo nono, attributâ Equitibus in tesseram Cruce albâ colore rubro circumdatâ: quod signum gestabant in omnibus bellis & conflictibus, etiam in vexillis; interierat sensim hic Ordo, sed deinde à Christiano quinto Rege Daniæ, ad inspirandam Nobilitati fortitudinis æmulationem est restabilitus.

Anno

Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, die Ceremoniarum baptismalium Filij sui Friderici quarti Principis hæreditarij, idq; cum maxima solemnitate; ubi Proceres ac Magnates Curiæ creavit Equites; statuitq; ut nemo ad excellentiorẽ in Regno Ordinem Elephantis promoveretur, nisi priùs fuisset admissus ad Dannebrogium. Equites gestant Crucem auream encausti albi, marginibus rubræ tincturæ obductam, undecim adamantibus ornatam, pendentem diagonaliter è Tænia lata coloris albi cum fimbrijs rubeis: à latere verò dextro in vestimentis relucet stella, argentea, rubicundo similiter colore obducta cum hoc Lemmate: *Restitutor*; & cum literis C. S.

Dra-

1420 in Germania. *Draconis inversi* Jn Germania Anno millesimo quadringentesimo vigesimo instituti Equites à Sigismundo Jmperatore, contra Hæreticos multorum malorum & bellorum intra Germaniam Authores. insigne ordinis fuit Draco, qui pendebat ex torque duplici crucibus Patriarchalibus distincto, ad vindicandam Hæresis ac schismatis profligationem. Quotidianum verò gestamen Equitum aiunt fuisse crucem Liliatam viridem. Tandem defecerunt.

1421 in Hungaria & Bohemia *Draconis in Hungaria & in Bohemia Ordo.* Equites crucem viridem pallijs ostro tinctis affigebant. Jam interijt.

1478 in Dania. *Elephantis in Dania Ordo.* Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo

gesimo octavo sumpsit Originem à Christiano primo Rege Daniæ, sub Nuptialia solennia Filij sui Joannis cum Christina Saxonica: quamvis aliqui illum attribuant Friderico primo, secundo, imò, Christiano quarto. Prima solennitas expedita fuit in principali illius Regni Ecclesia Metropolitana Lundensi; ab initio Torques distingvebatur Elephantibus turriculas dorso gestantibus, intermixtis calcaribus (juxta *Paillotum* Crucibus anchoratis) dependente inferiùs Imagine Virginis radiosa, cum exiguo nummo aureo, seu numismate. Nunc post mutatam Religionem, Elephas turriger, hierogliphicum prudentiæ, fortitudinis, & mansvetudinis alligatus Tæniæ latæ cæruleæ à sinistro brachio transversim in-

ſra cingulum pendet. In veſtibus autem apparet ſtella octoangula argentea ad lævam partem, in cujus medio extat Crucula in Campo rubeo, ex argento acu picta. Non diſtribuitur hic Ordo niſi die coronationis Regum Daniæ, idq; ſummis Principib9 & Proceribus, qui tamen priùs Dannebrogij Equites creantur, exceptis Monarchis, ex quibus eſt Sereniſſimus Auguſtus Secundus Rex Poloniæ, è Proceribus verò Piaſeczynius Palatinus Smolenſcenſis Legatus olim in Dania, tum Jacobus Comes de Fleming Præfectus Stabuli M. D. L.

Enſiferi in Livonia, aliàs Milites
1197 in *Livonia* CHRISTI inſtituti ſunt bello adverſùs infideles gerendo & aſſerendæ Provinciæ; duo gladij rubei decuſſatim col-

collocati, ac pallijs affixi pro inſigni ſerviebant, aliquando cum Theutonicis, in Pruſſia coaleſcere viſi; vel ſecundùm alios, eorum erant propago; ſed iterum adinvicem diviſi ſunt. Demùm Ordo defecit, Livoniâ in Polonorum poteſtatem concedente, & Gothardo Ketlero ultimo Magiſtro, in Ducem Curlandiæ inaugurato.

Fratres hilares Sanctæ MARIÆ 1233 in *Italia.*
Anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio, fundati ſunt in Italia Bononiæ, per Bartholomæum Regulæ Sancti Dominici Epiſcopum Vicentinum, contra infideles & hæreticos. Urbanus quartus approbavit Ordinem Anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo primo. Geſtabant Equites tunicam albam & cinericeam, atq; Crucem ru-

rubeam ſeu purpuratam, in area candida, cum ſtellis, duos angulos Laterales ſuperiores occupantibus, ideò autem dicti ſunt hilares Fratres; quòd ſemper læti, ac ſua ſorte contenti viverent cum Socijs. Etiam hic Ordo extinctus.

1685 in Pruſſia. *Generoſitatis* Ordo in Pruſſia refertur ad Annum milleſimum ſexenteſimum octogeſimum quintum, inſtitutus, à Friderico tertio protunc Principe Electorali. Inſigne Ordinis eſt Crux cærulea quatuor Aquilas: Angulis ſuſtettans, habensq; in medic arma Brandeburgica, cum lemmate: *Generoſitas*; appenditur è Collo in ligula nigra. Ex hoc Ordine ſunt *Nicolaus Dux Radzivil, Enſifer paulò ante M D. L. modò Palatinus Novogrodenſis, Georgius Comes Sapieha Capitaneus Wilkovienſis, & Comes à Szliwen Palatinides Livoniæ.*

Genetæ Ordo Anno ſeptingenteſimo trigeſimo octavo; dicitur habere originem à Carolo Martello Franciæ Principe, Caroli Magni Avo: Dicunt alij nomen eſſe inditum à Joanna ipſius Uxore communiter *Geanette* dicta, ſeu ab animalculo iſtius nominis, quòd Muſtellæ affine rubeis maculis inſignitur, frequensq; comparet in ea parte Hiſpaniæ, quam inhabitarunt Sarraceni, à prænominato Carolo, Anno ſeptingenteſimo trigeſimo octavo in Turonibus cruenta ſtrage cæſi. In eorum caſtris plurimas hujuſmodi animalculorum pelles (quæ fragrantem odorem ſpirare dicuntur) aliqua etiam 738 in Gallia.

am viva Martellus reperit. Prior conjectura vel ideò fallit; quia Carolo uxores nonnisi duæ fuêre: altera Rustrudis seu Gertrudis, altera Svachildis dicta. De Joanna apud Historicos altum silentium: imò eo sæculo vix nomen Joannæ in Domo Regia, aut in alijs Familijs Francicis, præsertim principalioribus inveniendum fore existimo. Dicitur hic Ordo durasse ad tempora S. Ludovici noni, Torques constabat tribus catenulis aureis, rubicundas rosas complectentibus, dependente figurâ Genettæ nigræ, rubeis maculis inspersæ, ac telluri floridæ insidentis, collare, quod gestabat animal lilijs aureis pictum erat. Jam & iste Ordo interijt.

S. Georgij in Germania Ordinis Anno millesimo ducentesimo octogesimo ad invigilandum limitibus Germaniæ & Hungariæ fundati, adscribitur Institutio Rudolpho Habspurgico in Carinthia, cui Urbs ab hoc Sancto Martyre dicta concessa erat Aliqui eundem malunt attribuere, Friderico tertio, vel Maximiliano primo ad Annum millesimum quadringentesimum nonagesimum quartum, adversùs Turcas creatum. Insigne erat Crux aurea trifoliata Coronæ inserta. Veterem Crucem putant fuisse rubeam in scuto argenteo. Non extat ampliùs. *1280 in Germania*

S. Georgij vel aurei Angeli Equites Palestinæ, dicuntur instituti à Constantino Magno, Anno trecentesimo duodecimo. Alij verò Originem appro- *312 in Palestina*

priant, Imperatoribus Orientis de Familia Comnenorum. Numerabat hic Ordo triginta quatuor Supremos Magiſtros; ſed occupatâ per Turcas Conſtantinopoli, ille etiam ſui jacturam ſubijt. Multi Principes eundem reſtabilire conabantur, verùm tandem honor iſte obtigit Carolo quinto Imperatori. Ipſe enim declaravit ſe Protectorem Ordinis, primumq; Equitem inſtituit Filium ſuum naturalem Joannem Auſtriacum, tradito ei Vexillo Religionis ad fortiter bellandum contra infideles, ante famoſiſſimum conflictum ad Lepantum Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo. Fuit hæc pugna Mahometanis fataliſſima: nam amiſerunt plùs quàm trecenta millia bellatorum, & naves qua-

dringentas. Inſigne Ordinis eſt Torques aureus confectus ex literis antiqui labari, â quo pendet Effigies Sancti Georgij Draconem proculcantis. Farneſius Dux Parmenſis nunc Supremus Magiſter Ordinis & S. R. I. Princeps appellatur, cui Familia Comnena, ex decrèto Imperatoris eundem honorem deputat. Ex hoc Ordine plurimi fuerunt Viri Sanctitate & geſtis præditi, videlicet Equites in numerum Sanctorum relati, Demetrius, Procopius, Hyppolitus, Mercurius, Theodorus, Vitalis & alij plures Martyres. Inter Principes dictum Conſtantini Ordinem olim geſtantes, præcipui recenſentur ab Authoribus, Fridericus Imperator Occidentis, Henricus ſuus Filius, Philippus Galliæ, Richardus An-

gliæ, Gvilhelmus Siciliæ, Balthasar Hungariæ, Casimirus Poloniæ, Alphonsus Arragoniæ, Alphonsus nonus Castilliæ, cum Filio Emmanuele Reges, Otto Dux Burgundiæ, Thomas Comes Allobrogorum, Obisson Marchio Estensis, Joannes Fridericus Gonzaga, Albertus Comes de Habspurg, Philippus Comes Flandriæ, Carolus quintus Austriacus, Imperator Romanorum, suusq; Filius Joannes. Maximis insuper gratijs à Pontificibus hic Ordo auctus est, utpotè à Leone primo Anno quadringentesimo quinquagesimo sexto, tum ab Imperatoribus, Regibus, & Principibùs, diversis prærogativis cumulatus. Joannes tertius Rex Poloniæ pro heroicis actionibus Equitum Constantinianorum in Viennensi Obsi-

sidione exhibitis, eosdem eximijs ditavit Privilegijs, cum libero illorum usu in Regno Poloniæ, plura videantur *in Schonebekio.*

S. Georgij Equites à Friderico quarto Imperatore auctorati esse creduntur circa Annum millesimum quadringentesimum quinquagesimum. Jam desierunt. 1450. *in Germania.*

S. Georgij Ordo Genuæ hactenus celebris perseverat, institutus ab eodem Friderico quarto, Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, cùm Romam tenderet pro sui coronatione. Respublica Genuensis modò distribuit illum Viris Illustribus. Insigne Ordinis Crux rubea in Torque aureo suspensa. 1452. *Genuæ.*

S. Georgij de Alphama, in Arrago- 1201. *in Arragonia.*

 nia

nia fundatus Ordo circa Annum millesimum ducentesimum primum, incorporatus est Ordini Montesiæ. Insigne fuit Crux rubicunda supra pallium album.

1492. Romæ. *S. Georgij Romæ* Ordo Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo fundatus ab Alexandro sexto Pontifice. Insigne erat Crux aurea circulo in coronæ formam effícto inclusa. Tandem defecit.

Romæ. *S. Georgij item Romæ* à Pio quarto Papa erectus Cætus, cujus Alumnorum munus fuit, gestare Pontificem in publico compariturum. Etjam iste extinctus.

In Italia. *S. Georgij Equites* Instituti à Paulo tertio Ravennæ, successu temporis defecerunt.

S.

S. Georgij in Anglia. Videatur Ordo Periscelidis.

S. Geryonis Equitum Authorem referunt aliqui fuisse Fridericum Barbarossam, circa Annum 1190. alij Fridericum secundum, ab eoq; institutum Ordinem in honorem Divi Geryonis, qui Coloniæ cum trecentis octodecim Commilitonibus complevit Martyrium. Insigne erat Crux nigra, vesti candidæ imposita, solis Germanis Nobilibus ad hunc Ordinem patebat accessus. Interijt. 1190. in Germania.

Gladij Equites In Svecia videantur sub nomine Balthei Militaris. 1528.

S. Huberti Ordo in Germania Anno millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, per Gothardum Ducem Juliæ, Cliviæ, & Montium funda- 1444. in Germania.

datus esse creditur, in gratiarum actionem DEO, pro Victorijs reportatis. Extincta Domo Clivensi exoleverat: Verùmtamen Gvilhelmus Elector Palatinus, ad exornandam suam curiam eundem restabilivit Anno millesimo septingentesimo nono, adjuncto supremi Magisterij titulo suæ suorumq; Successorum Personæ: insuper ad alios Ordines accessum præclusit Equitibus. Insigne habent Crucem albam, cum Effigie Sancti Huberti, pendentem à brachio dextro sub sinistrum in Tænia quatuor digitos lata rubri coloris: Stellam verò à parte cordis argenteam cum parva Crucula in circulo, nec non circumcirca hanc inscriptionem: *Amicitiæ virtutisq; fædus*, vel ut alij volunt: *in Fidelitate constans*. Dux Vittem-

ber-

bergensis Successionem Clivensis Domûs prætendens, eundem Ordinem in sua Curia distribuit, & supremum ipsius vendicat sibi Magisterium. Ex Polonis *Michaël Dux Radziwil Præfectus Stabuli M. D. L. obtinuit hunc Ordinem ab Electore Palatino.*

Hystricis Ordinem instituit Anno millesimo trecentesimo nonagesimo tertio, CarolusAurelianensis Dux, vel ejus Pater Ludovicus, cum symbolo *Cominus & eminus*: Ex torque triplici aureo dependebat hystrix insistens solo viridi ac florido. Deinde Ludovicus Rex hujus nominis duodecimus Hystricem coronavit, adjecta Epigraphe: *Ultus Avos Trojæ.* Interijt. 1393. *in Gallia.*

S. Jacobi Equites in Hispania, Huic obsequio se consecrârunt. Anno mille- 1175. *in Hispania.*

le-

lesimo centesimo septuagesimo quinto, vel 1158. ut visitaturis istius Divi Apostoli Sepulchrum præsto essent, eosq; ab injurijs hostium defenderent. Præcipua Sedes eorum in Xenodochio vel Hospitali; quod à S. MARIA denominatur, in Suburbijs Legionensib9. Insigni utuntur; Cruce rubra in modum ensis formata. Torques est triplex ex quo pendet gladius seu Crux ensiformis rubea, in conchylio argenteo, quod capulo imprimitur, symbolum legitur: *Rubet ensis sangvine avûm.* Magisterium Ordinis, Majestati Hispaniarum applicavit Adrianus Pontifex.

1254. in Hollandia. *S. Jacobi in Hollandia* Ordo, quem Florus quintus Comes Hollandiæ, Zelandiæ, & Frisiæ instituit Anno millesimo ducentesimo nonagesimo. Habuit pro Insigni Torquem ornatum sex conchis marinis, cum dependente figura, Sancti Apostoli. Hic Ordo separavit se ab Hispânico sub Dionysio Rege Portugalliæ, cum permissione Nicolai quarti & Cælestini quinti. Per hoc differebant Equites à prioribus, quòd habuerint filum aureum circa Crucem rubeam. Interijt.

JESU CHRISTI Equites à Joanne vigesimo Pontifice instituti creduntur, circa Annum millesimum trecentesimum decimum septimum. Portabant Crucem rubicundam auro circumdatam. Multi Prælati Principum & Cardinalium Romæ spectantur similibus ornati Crucibus. Voluit Pontifex eundem incorporare Portugallico similis nominis. Sed hoc non est 1317. Romæ.

eſt ſubſecutum, durat hucusq; .

JESU CHRISTI Ordo Portugallicus, quem Dionyſius Rex inſtituit Anno milleſimo trecenteſimo decimo octavo, Equites nigro habitu induti geſtabant ex triplici Torque aureo dependentem Crucem rubeam (aliqui atram dicunt) impoſitâ aliâ Cruculâ argenteâ, Officium eorum erat ut in Bætica Mauros oppugnarent. Joannes vigeſimus ſecundus Anno milleſimo trecenteſimo decimo nono, Ordinem approbavit. Julius verò tertius Supremũ Magiſterium Portugalliæ coronæ adjunxit, Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo. 1318. in Portugallia.

JESU CHRISTI Ordò, Equitum
1320. in Italia. Inſtitutus Avenione Anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo, per Joannem vigeſimum ſecundum Pontificem Maximum, ultrâ non auditur.

JESU CHRISTI Militaris Ordo in Hiſpania dicitur ortum trahere ab illis, quos Sanctus Dominicus inſtituit, adversùs Albigenſes concionibus ipſius ad converſionem immobiles. Duravit etiam poſtea, extincto nomine Albigenſium, Innocentius tertius Regulam eorum approbavit, Anno milleſimo ducenteſimo decimo. Inſigne erat Crux quatuor lilijs colore albo & nigro bipartitis, nec non area in octo partes diviſâ conſtans. *Extinctus.* 1200. in Hiſpania.

JESUS MARIA Ordo Militaris in Italia fundatus à Paulo quinto Pontifice, Anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quinto; Jam *deſiit.* 1615. Romæ.

1099. in *S. Joannis Baptistæ*, Acconitani, seu
Palestina. in Ptolomaide, Equites ex Palestina ortum ducunt, quæ olim *Acæ*, deinceps *Aceon* dicta fuit, devovebant sua studia atq; curas ægrotorum obsequio, nec non peregrinis ducendis & reducendis. Capta Urbe Ptolomaide transierunt in Hispaniam, dicuntur instituti esse Anno millesimo nonagesimo nono sub Godefrido Bullonio. Insigne erat Crux alba adinstar Melitensium. *defecerunt.*

S. Joannis Ordinem distribuit Domus Brandeburgica tanquam plures Commendas Ordinis Melitensis Jure belli possidens. Cruces sunt aureæ albi encausti in tænia nigra, vel in catenula Collo appensa.

1250. in Syria. *SS. Joannis & Thomæ*, Celebres

olim Equites in Syria circa medium sæculi decimi tertij ab Alexandro sexto receperunt, Insigne Ordinis Crucem rubeam cum Effigie istorum Sanctorum. Alphonsus Sapiens Rex Castilliæ multa illis præstitit beneficia. Successu temporis ex Syria pulsi, conjuncti sunt cum Melitensibus; Nihilominùs illi Equites, qui Hispanias incolebant, intra limites primæ Institutionis diu manserunt sub nomine Equitum Sancti Thomæ. Jam *interierunt.*

S. Joannis Nepomuceni. Pia Confœ- 1706. in
deratio seu Congregatio est, quæ tenetur Bohemia. Effigiem ejusdem Divi in pectore vel alibi palam gestare. Augustissima Imperatrix moderna Elisabetha, pluribus personis primæ extractionis, similia numismata adamantibus distin-

cta transmisit. Quarta demum tribus accessit, gratia ex Consangvinea Lechiæ Bohemorum gente oriunda. Parvam ne dices gratiam? præsentissimum periclitantis famæ Patrocinium? famam quisq; sibi scribat hæredem Nepomucenæ Societatis alumnus. Diu durabit præclara hæreditas, & quamvis profundissimis Moldavæ fluctibus obruatur, purior emerget, approbata hæc Confæderatio pia à Clemente XI. Anno millesimo septingentesimo sexto.

1156. in Hispania. *S. Juliani Ordo* Idem est, qui & Alcantaræ, videatur supra.

1498. in Gallia. *Laqueorum* (ut vocant) seu amoris Ordo Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo, ab Anna Britannica Francisci secundi Ducis Filia, Caroli octavi Regis Galliæ relicta Vi-

Vidua institutus. Symbolum fuit: *Habeo corpus liberum*; alludendo ad id quòd Fundatrix libera jam fuerit à legibus Matrimonialibus; quarè Torques constabat funiculis seu laqueis contortis. Ponebat idem Insigne, circa sua avita arma, distribuebatq; pluribus Matronis Curiæ domesticæ. Unde mos invaluit, ut omnes Viduæ similibus laqueis sigilla sua circumdent.

Lauretani in Italia Equites fundati Anno millesimo quingentesimo octogesimo septimo à Sixto quinto Pontifice. jam non *apparent.* 1587. Romæ.

S. Lazari & Mauritij Equites apud Sabaudos celebres sunt. Quòd attinet Ordinem S. Lazari, Origo ejus Anno 366. adscribitur S. Basilio Magno, qui Xenodochium sub Nomine S. La- 1528. in Sabaudia.

za-

zari erexerat. Sed cùm in prima quasi Institutione extinctus fuisset: iterum renatum ajunt, Hierosolimâ in potestatem Christianorum redactâ; ubi prædicti Equites, quosvis Fideles adventantes ad sua Xenodochia recipiebant. Unde Principum liberalitate fundationes Ordinis, tunc ad leprosorum curam destinati citò auctæ fuerunt, in Galliam verò Regnante Ludovico juniore venerunt, primariâ sede Boigniaci prope Aurelianum à Rege assignatâ. Utuntur autem Insigni Crucis octoangulæ seu octo radiorum, viridis, albo limbo terminatæ: cui Emmanuël Philibertus Dux Sabaudiæ, Anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, cùm à Gregorio decimo tertio (contradicente tamen ob Jura Fran-

ciæ Henrico tertio Rege) Magisterium Ordinis jam ferè aboliti obtinuisset: & cum altero Maurittano conjunxisset, imposuit Crucem albam, extremitatibus ejus singulis adinstar pomorum sphærulis adhærentibus, ipse qui sub nomine Mauritij venit fundatus Ordo est ab Amædeo primo Duce Sabaudiæ, verùm cùm Ripaliam concessisset, vitam Eremiticam acturus, etiam Equites dicti sunt Eremitæ S. Mauritij, quem Patronum Sabaudiæ esse, vulgaris fama testatur. Locò torquis Cruces ex rubra fascia pendentes gestantur.

S. Lazari & Montis Carmeli, In Gallia Equites quorum Institutio refertur ad Annum trecentesimum sexagesimum quintum, modò quoq; sunt celebres ibidem. Primùm erant hospi- 1655. in Gallia.

talarij in Civitate Accensi sub Imperatore Constantinopolitano Baldvino, circa Annum millesimum centesimum quartum, in obsidione Ptolomaidis multa præclara egerunt, ideoq; Militarem assumpserunt professionem. Successu temporis in Gallia, prima nacti sunt domicilia, fuitq; divisus Ordo in tres partes, illi qni in Italia manserant, seorsivum Magnum Magistrum obtinuêre, qui verò in Neapolitano, & Siciliæ Regno consederant, subditi sunt per Bullam Gregorij decimi tertij Duci Sabaudiæ, prout supra innuimus: Gallici deniq; operâ Henricorum tertij & quarti Regum, exdivisi ab alijs Confratribus, per Bullam Pauli quinti Anno millesimo sexcentesimo septimo, tanquam novam, quamvis ejusdem

Instituti cum prioribus formarunt Societatem. Ab hoc tempore in illo Regno vigebat Ordo, sed cùm fatalitate Bellorum, lapsus esse videretur, à Ludovico Magno restitutus est pristino splendori Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto; non admittuntur ad Ordinem nisi Nobiles, habentq; distinctum Supremum Magistrum. Insigne est Crux in catenula aurea pendens albi encausti, ex ejus una parte conspicitur Effigies Sancti Lazari, ex altera verò Beatissimæ de Monte Carmelo, nam ad differentiam à Sabaudico ejusdem nominis, adiecit Rex Christianissimus Ordinem Montis Carmeli, & ita conjunctum, utroq; nomine appellari jussit. His temporibus portant aliqui dictas Cruces

diagonaliter à brachio dextro, in Tænia lata rubri coloris, nec non ſtellam argenteam acu pictam in veſtibus. Huius Ordinis ſunt ex Polonis *Jacobus Dunin Referendarius Regni, Generalis Granowſki; nec non Dominus Dzbanſki.*

Leenæ Societas, In Regno Neapo-
1385. Neapoli. litano duravit ad tempora Ladiſlai Regis. Differentiæ inter Andegavenſes ut duratios dederunt occaſionem Inſtitutionis illus. Verùm brevi extincta.

Lilij & Gryphis, Equites à Ferdi-
1413. in Arragonia. nando Rege Arragoniæ, in honorem Beatiſſimæ Virginis, conſtituti Anno milleſimo quadringenteſimo decimo tertio. Inſigne Ordinis erat Collare aureum ex folijs Liliorum & Gryphibus compoſitum, à quo pendebat Effigies

DEI-

DEIParæ Filium Infantem geſtantis. Vocabatur in Hiſpania hic Ordo de La Yarra. *Non extat ampliùs.*

S. Ludovici in Gallia, Equites crea- 1693. in Gallia.
ti à Ludovico XIV. Anno 1693. ipſe Rex declaravit ſe eſſe Supremum Magiſtrum, & alligavit hunc honorem ſuis Succeſſoribus. Diſtinxit Equites in plures Claſſes. Primi ſunt *Magnæ Crucis,* & forte ſex tantùm numerantur; *Commendatores* alij, cæteri cum minoribus Crucibus incedentes. Diſtribui ſolet hic Ordo ſolis Officialibus Militaribus, qui præſtant juramentum, ſeu votum vivendi, ac moriendi in Fide Catholica, ſuoq; Principi inviolabilem ſpondent fidelitatem. Conveniunt annuatim in Feſto Divi Ludovi-

 ci,

ci, habentq; non exiguos proventus. Insigne Ordinis est Crux aurea rubeo colore tincta, habens in medio Effigiem præfati S. Regis, atq; quatuor lilia aurea in angulis. Appendi solet in ligula punicea. Illi verò, qui gestant majores Cruces, appendunt eas diagonaliter, latâ tæniâ rubicundâ, habentq: elaboratam ex auro spineam Coronam, tres Clavos Passionis Dominicæ complectentem, ad sinistrum latus in vestimentis. Commendatores autem coronâ hâc non utuntur. Nam sunt Ecclesiastici.

1268. in Sicilia. *Lunæ & Stellæ*, Ordo sumpsit Initium in Sicilia Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octavo, à Carolo Fratre Sancti Ludovici, Messinæ. Clemens quartus eundem approbavit

Suc-

Successu temporis substitutus est illi alter solius stellæ: qui tunc in eo Regno floret celeberrimus.

Lunæ crescentis Ordinem institu- 1464. in Sicilia.
it Renatus Andinus Rex Siciliæ & Neapolis, Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto, Andegavi. Symbolum illius erat figura Lunæ crescentis ex triplici torque aureo suspensa, cum Epigraphe: *Los*, sive: *Lozen Croissant*. Iste quoq; Ordo cum Familia Andegavensi defecit.

S. Marci Ordo, Clarissimus in Re- Venetiis.
publica Veneta. Obstricti sunt Equites ad opponendum sese infidelibus. Insigne Ordinis, est numisma aureum, cum Torque, supra quòd eminet Leo alatus, tenens Librum apertum, his verbis inscriptum: *Pax tibi Marce*

Evan-

Evangelista meus Equites communiter appellantur *Filij S. Marci*: ac nonnisi pro summis meritis, seu obsequijs Patriæ præstitis, hoc Insigni donantur. Qui admittuntur ad Ordinem; eo ipso recipiuntur ad Indigenatum, habentq; Jus imponendi suis armis fauces, sive os Leonis, quæ apud Venetos est maximi Honoris tessera.

1408. in Navarræ. *S. MARIÆ de Lilio* Ordo, fundatus dicitur à Garcia sexto Rege Navarræ, Anno millesimo quadringentesimo octavo, in Civitate Naiera. Destinabantur Equites triginta octo; qui exterminandis ex Regno Mauris continuam navarent operam. Torques constabat duplici catenulâ, plures literas M. antiquo more pictas colligante. Dependebat à Torque ovalis figura, conti-

tinens lilium quasi recenter à tellure nascens, atq; literam M. coronatam sustentans. Supremus Magister creditur fuisse olim Rex Navarræ: Jam *evanuit.*

S. MARIÆ Equitum Authores fuerunt; Petrus Joannes Baptista, & *1618. in Italia* Bernardus Petriniani Fratres Itali, confirmationemq; Ordinis à Paulo quinto Pontifice Anno millesimo sexcentesimo decimo octavo, obtinuêre. Motivum Institutionis fuit pugna contra Turcas, ac defensio Fidei Christianæ. Ex torque dependebat circulus, impositus Cruci, in quatuor liliorum formam compositæ, literas S. M. (nempe *Sancta MARIA*) implicitas coronâ & stellis redimitas complectens; in peribolo verò Symbolum: *In hoc signo vin-*

vincam. Singulis Crucis angulis impressa spectabatur stella radiata. *Interijt*.

S. MARIÆ de Pœnitentia SS. Martyrum, quemadmodum sunt Religiosi: ita etiam Equites fuerunt, ijsdem ornati insignibus, nimirùm prominente Cruce rubeâ ex corde ejusdem coloris. Dividebantur in quinq; Classes, cum differentibus Equitum notis, sub uno tamen nomine: *Desijt hic Ordo*.

S. MARIÆ Rosarij, Equites circa
1235. in *Hispania*. Annum millesimum ducentesimum trigesimum quintum, brevi post obitum Divi Dominici instituti sunt per Fridericum Archiepiscopum Toletanum. Verùm Ordo iste jam non nisi in signis, videlicet globulis devotionalibus durat, quibus ex pietate licet uti cuilibet.

S.

S. Mariæ Magdalenæ Ordo fundatus Anno millesimo sexcentesimo decimo quarto, à Joanne Chenel Nobili 1614. in *Gallia*.
Gallo. Illius professio erat vitare duella, nisi pro DEO & Patria exigerentur. Statim *disparuit*.

Matronarũ virtuti mancipatarũ Cœtũ, 1662. in *Germania*
Eleonora Gonzaga Vidua, Ferdinandi tertij Imperatoris instituit, Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo, assumpto sibi Supremo Magisterio. Fuit is Ordo notabile incitamentum, ad practicandas virtutes, vitæ exemplaris fœminis Curiam frequentantibus. Numearus erum non excedebat triginta, habueruntq; statuta quædam. Gestabant in pectore solem aureum, diademate laureato coronatum, cum lemmate: *Sola triumphat*

ubiq;

ubiq;, ſubintelligitur virtus. Jam *extinctus*.

1308. in Europa. *Melitenſis Ordo*, aliàs Fratrum Hoſpitalariorum, vel S. Joannis Baptiſtæ. Cæpit Hieroſolimis, ab illis Equitibus qui Peregrinorum obſequio in Xenodochijs, eorumq; defenſioni à Prædonibus Arabicis vitam dicaverant. Brevi hic Ordo per armorum exercitia evaſit potentiſſimus, Hieroſolimitanâ Urbe iterum à Sarracenis captâ, ſubſtiterunt in Ptolomaide; quâ amiſsâ Cyprus eos ſuſcepit. Erepta hoſtibus Rhodo Anno milleſimo trecenteſimo octavo, cæpêre dici Rhodij: ſed hac etiam ad Turcas devolutâ Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio, Carolus quintus conceſſit illis Melitam ſeu Maltam, quam hucusq; Equites, ſub

ſub Magiſtro ſtrenuè ſunt tutati. In plures Provincias, nempe: Arverniam, Franciam, Italiam, Arragoniam, Angliam, Germaniam, Caſtiliam, dividuntur. Inſigne eſt Crux octogona (octo Beatitudines exprimi ajunt) candida, quam pallio affixam: cum alia ex auro operis encauſtici albi ſuſpenſam infra pectus, in ligula nigra, vel diagonaliter in tænia latiore geſtant. Supremus Magiſter habet titulum æqualem Cardinalibus, ſcilicet Eminentiſſimi & omnia Regalia. Legati ipſius, eodem modo tractantur in Aulis Principum; quo coronatorum capitum. Deductio genuinæ Nobilitatis vel maximè ad Ordinem obtinendum exigitur: quare nonniſi Principes, Proceres, Nobilesq; admittuntur. Ex Po-

 lo-

lonis fuerunt, & nunc ſunt plurimi.

1483. Neapoli. *S. Michaëlis Equites* à Ferdinando Rege Caſtellæ inſtituti fuerunt. Ordinis Inſigne erat aureus Torques complectens circulos, cum numiſmate, cui inſcriptum: *Decorum.* Plurimi cenſent hunc Ordinem conjunctum fuiſſe cum Ordine Armellini. Ambo *interière.*

1469. in Gallia. *S. Michaëlis Ordo* in Gallia, Ludovicum undecimum agnoſcit Conditorem, qui eum inſtituit Anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo nono, Amboſiæ. Torques conſtat conchylijs, dependente S. Michaëlis præfati Imagine: Is enim creditus Propugnator Franciæ adversùs Anglos. Symbolum eſt: *Immenſi tremor Oceani.* Conjunctus eſt modò cum Ordine S. Spiritûs, pridieq; confertur.

Montis Gaudij Ordo fundatus Anno milleſimo centeſimo octogeſimo, per pios quoſdam Nobiles. Nomen derivavit à monte ejus nominis prope Hieroſolymam. Alphonſus nonus Rex Hiſpaniæ ditaverat hunc Ordinem in Hiſpania; qui reunitus Calatravenſi, demum *extinctus eſt.* 1180 in Paleſtina.

Monteſæ Equites à Jacobo ſecundo Rege Arragoniæ Anno milleſimo treceteſimo decimo ſeptimo, ſtabiliti in illis oris, præcipuè in Regno Valentiæ; deinde adjuncti ſunt Calatravenſibus. 1317. in Arragonia.

Navis ſeu Conchæ, Equites vocabantur etiam *Argonautæ S. Nicolai*, horum Inſtitutio attribuitur Carolo Duratio in Regno Neapolitano, Anno milleſimo treceteſimo octogeſimo primo, 1381. Neapol.

mo, eos deinde dicitur reinſtituiſſe Divus Ludovicus Rex Galliarum ſub titulo *Conchæ Marinæ*: Ijſdemq; ſymbolis, poſt Orientalem expeditionem monetam inſignivit. Eundem Ordinem *Palliot* ajt dictum à Navæ, vel ab expeditione tranſmarina, vel à duplici ſemiluna. Torques enim ex quo dependebat, navis picta, in figura ovali, ſingulis alternatim conchis, ac duplici ſemilunâ diſtingvebatur. *Non extat ampliùs.*

1352. *Neapoli.* *Nodi Equites*, creati à Ludovico Principe Hungariæ, deinceps Rege Neapolitano, poſt inita connubia, & horrendum bellum cum Joanna Regina Neapolitana. In memoriam igitur deſideratæ pacis, Rex novus prædictum Ordinem inſtituit, Anno milleſi-

ſimo trecenteſimo quinquageſimo ſecundo, creavitq; ſexaginta Equites (quos apellari voluit: *Nodi*) ex Nobilitate Neapolitana & Gallica applicando brachijs eorum nodos aureos unionibus atq; pretioſis lapidibus ornatos, ſub Patrocinio S. Nicolai, Clemens ſextus dederat ipſis obſervandam Regulam Divi Baſilij, *tandem Ordo extinctus.*

Parmæ Viridis Equites à Carolo ſexto Rege Franciæ inſtituti jam defecerunt. Inſtituti ſunt Anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſecundo. 1352. *in Gallia.*

Participantium Societas Romæ à Pio quinto inſtituta Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono, multiſq; aucta Privilegijs. Inſigne mili- 1559. *Romæ.*

tum Piorum fuit Imago Divi Ambrosij Episcopi ab una parte, ab alia verò stemma honorificum, *iam non superest.*

1380 in Anglia. *Passionis Dominicæ* Ordo à Richardo secundo Rege Angliæ conditus circa Annum millesimum trecentesimum octogesimum, vel millesimum quadringentesimum, pro recuperanda Terra Sancta. Insigne Ordinis fuêre Crux rubea ampla auro & argento tincta, repræsentans Passionem Domini. In medio conspiciebatur Agnus DEI resplendens, Symbolum CHRISTI resurgentis, *defecit.*

1671. in Saxonia. *Passionis Dominicæ* Ordo à quodam Duce Saxoniæ conditus Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, *iam non extat.*

Passio-

Passionis Nobilis, in Germania Ordo erectus à Duce Saxoweinsenfelsi Anno 1704. in Germania. millesimo septingentesimo quarto, Festum Ordinis est, S. Joannis: Dignitatis tessera tænia alba super brachium dextrum, auro ductili picta, ex utroq; margine, cui appensa est stella aurea literis I. G. (id est Joannes Georgius) in campo cæruleo insignita, super Crucem rubeam sunt Insignia Principatus de *Querfurt* cum lemmate: *Amo honorem quem virtus gignit.*

Periscelidis seu S. Georgij in Anglia 1435. in Anglia. celeberrimus Ordo ab Edvardo tertio Rege Angliæ, Anno millesimo quadringentesimo trigesimo quinto, conditus, ex causa levis momenti. Ferebatur hic Princeps fervidiore affectu in Comitissam Salisburgensem, eximiæ

pul-

pulchritudinis fæminam; cujus illicio nullam intermittebat occaſionem,quin proderet amoris paſſionem. Quodam die in choragio publico, ſaltando Comitiſſa cum Rege, amiſerat Periſcelidem cæruleam,Rex quàmprimùm eam humi jacentem advertit; manu propriâ levavit. Circumſtantes Aulici, mox hanc actionem Regiam ſiniſtrè interpretari cæperunt: quòd plurimùm ipſum Regem, & Comitiſſæ innocentis virtutem offendit. Quare Rex manifeſtando puritatem ſuæ intentionis, punctualiter exclamavit, illius ævi idiotiſmo: *Honi ſoit qui maly penſe!* ſcilicet noſtro loquendi modo: *Confundatur qui malè ſentit!* Deinde proteſtatus eſt, quòd ab eo tempore, quicunq; illum actum ſuum joco exſibilandum

cen-

cenſebat; ſummè honoratum, poſtea ſe exiſtimabit; ſi ei licuerit geſtare ſimilem periſcelidem, congregatâ igitur, Curia in Caſtro Vindſovienſi, inſtituit præfatum Ordinem ſub auſpicijs Divi Georgij Protectoris Angliæ, & abhinc ubivis locorum ſummam habet celebritatem, nihilq; majus expectari poteſt ab Anglicis Proceribus, quàm ad hunc Cætum admiſſio. Equites fuêre primitùs quadraginta, nunc ſunt multò plures. Signum diſtinctivum Ordinis eſt Periſcelis cærulea ſuperiùs citatum Regis effatum, aureis characteribus expreſſum referens, idq; ad pedem ſiniſtrum applicata: ad dextrum verò nulla datur etiam ordinaria, propter Ordinis apparentiam, à brachio ſiniſtro tranſverſim. Portant

 Equi-

Equites in tænia cærulea ampla Effigiem S. Georgij, ex auro affabrè confectam, aliquando, nimirum Festis solennioribus è torque ad Collum suspensam. Conspicitur quoq; in vestitu stella argentea cum Cruce. Ad hunc Ordinem admissus fuit, *Casimirus Jagiellonides Rex Poloniæ* ab Henrico sexto Rege Angliæ, prout testatur supplementum *Morerij*.

SS. Petri & Pauli Ordo institutus
1520. Romæ. Anno millesimo quingentesimo vigesimo, à Leone decimo Pontifice, Paulus tamen tertius, Anno millesimo quingentesimo quadragesimo alium creavit, sub uno Nomine S. Pauli. Ad extremum ne Prioris memoria deperiret, ambos reunivit. Distribuitur à Summis Pontificibus ad hæc usq; tempora.

Quer-

Quercus Ordo, in Regno Navarræ circa Annum septingentesimum vige- 722. in Navarra.
simum secundum floruit, institutus à Garcia Ximenes Principe Regij Gottorum Sangvinis, qui post multas reportatas victorias de infidelibus, eximius in desertis Africæ Eremita, deinde Heros & Ductor Exercituum famosissimus, cùm duceret copias contra Mauros, apparuit ipsi lucida Crux super summitatem arboris quercinæ ab Angelis adorata, tanquam certæ victoriæ signum, quare post victoriosum conflictum, Ordinem quercinum dictus Ximenes instituit. Portabant Equites ad pectus, super vestem candidam, arborem acu pictam cui innitebatur Crux rubea. Idem signum assumpsit pro stemmate, loco vetu-

stis-

ſtiſſimi, quo utebantur Gotti ſcilicet trium coronarum, adjectis hiſce characteribus: *Non timebo millia circumdantes me*, præſcripſitq; certa inſtituta Equitibus, tandem & hi defecerunt, poſt plurimas revolutiones iſtius Regni.

1379. in Caſtilia. *Rationis Equites* inſtituti à Joanne primo Rege Caſtiliæ, Anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo nono; diſtribuebatur Ordo Heroibus pro ſummis meritis, quibus conferebatur Vexillum, uti olim Banarettis vel Baronetis in Gallia & in Anglia; dicti Equites componebant cuſtodiam corporis Principis, tandem conjunctus eſt Ordo cum alio Columbæ dicto, ab eodem Rege erecto, inveniuntur hucusq; in Andaluſia, & in aliquib9 locis Caſtiliæ

Re-

Redemptionis Captivorum Equites à Jacobo primo Rege Arragoniæ conſtituti Anno milleſimo ducenteſimo decimo octavo, ex certa revelatione facta S. Raymundo Ordinis Prædicatorum, Regio Pœnitentiario. Demum mutatus eſt Ordo in Eccleſiaſticum. 1218. in Arragonia.

Rutæ Ordo S. Andreæ, apud Scotos celebris, cujus Inſigne erat Torques duobus rutæ ramis conſtans, cum Icone Beati Andreæ. Inſtitutio ipſius refertur ab Authoribus ad Hugonem Regem Scotiæ, circa Annum nongenteſimum vigeſimum quartum, nonnulli conjungunt eundem cum alio ibidem S. Andreæ de Carduo. 924. in Scotia.

S. Salvatoris Equitum Ordo in Arragonia circa Annum milleſimum centeſimum decimum octavum ab Al- 1118. in Arragonia.

phon-

phonſo Rege Hiſpaniæ, in Civitate Montreal erectus adversùs Mauros, cujus Sodalium fortitudo expulſioni hoſtium ingens momentum attulit, & ob hoc ampliſſimos reditus à Rege meruit. Refert autem ex *Favino Paillotus*, Templarijs primitùs urbem illam Monſtreal conceſſam: ſed his extirpatis, præfato Ordini datam, geſtabant Equites è Regione ſtomachi Crucem anchoratam rubeam, quam ex triplici torque aureo ſuſpendebant. Caput Ordinis erat Rex Arragoniæ. *Non extat ampliùs.*

1561. in Svecia. *Salvatoris Equites*, in Svecia inſtituti ab Erico decimo tertio Upſaliæ, Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo, ſub ſolemnia Coronationis. Alij putant erectum Ordinem in

in honorem nuptiarum ſuarum, cum Infante Poloniæ Catharina. Torques conſtabat capitibus Angelicis alatis, à quo dependebat Effigies Salvatoris; *extincti.*

SS. Sangvinis Salvatoris, Ordinem condidit Vincenti, Gonzaga Dux Mantuæ, Anno milleſimo ſexcenteſimo octavo; cognomen Nominis emanavit inde, quia guttas ejus aliquas à Longino exceptas ſimul cum ſpongia in Urbe Mantuana ſervari antiquiſſima probat traditio. Inſtitutio facta in Nuptijs Filij Ducalis Franciſci, cum Margarita Sabaudica. Symbolum erat: *Nihil iſto triſte recepto*. Baltheus ſeu torques connectebat ovales figuras aureas, in quarum ſpatijs alternatim permixtæ voces: *Domine probaſti*, candidis lite- 1608. Mantuæ.

 ris

ris exaratæ, tum vaſcula aurifabrorum, quibus ad probandum aurum, uti ſolent flammis impoſita comparebant. Dependebat ex torque iterum ovalis figura Angelos duos tenentes tabernaculum ſive Ciborium coronatum, cum tribus guttis ſangvineis, & ſymbolo ſupra dicto repræſentans. Haud ita pridem cum Ducibus Mantuanis ut ſuppono extinctus.

…8. in Castilia. *Squama ſeu Scama*, dictus Ordo ſub Regimine Joannis ſecundi Regis Caſtiliæ celebris, cujus Inſigne erat Crux ad inſtar ſquamarum piſcium marinorum effigiata, Inſtitutio illius creditur facta circa Annum milleſimum tercenteſimum decimum octavum. Crucem Equites portabant ſuper pallijs albis, recipiebantur verò more & Ri-

Ritu Equitum Calatravenſium. Obligabantur inſuper Fidem & Regnum tueri contra infideles, tandem & hic Ordo in fluidi temporis abyſſo naufragium paſſus eſt.

Scuti aurei, in Gallia Author fuit Ludovicus ſecundus Dux Borbonij Anno milleſimo treceнteſimo ſexageſimo tertio, ex Anglia redux. Scutum aureum percurrebat faſcia margaritarum acu picta, cum voce *Allen* quaſi diceres: *Allons*. Interijt. 1363. in Gallia.

S. Sepulchri Equitum Ordo, cujus exordia aliqui ad Helenam Auguſtam Anno treceнteſimo vigeſimo ſexto, plures ad S. Jacobum Apoſtolum, alij ad Conſtantinum magnum, Gotfridum Bullonium Fratrem Godefridi, Anno milleſimo centeſimo decimo viven- 326. in Paleſtina.

 tem.

tem referunt. Patriarcha Hieroſolymitanus eorum erat Magiſter: deinde cùm numerus excreviſſet, etiam in Italiam tranſierunt, ſede electa Peruſiæ. Innocentius Papa undecimus eoſdem univit cum Rhodijs, Anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimo quarto. Sed poſt duodecim Annos Alexander ſextus vindicavit ſibi Ordinis Magiſterium, & Gvardiano Bernardinorum S. Franciſci Regulæ (qui uſum habet etiam Pontificalium, & S. Sepulchri Cuſtos eſt) poteſtatem contulit conferendi prærogativam Ordinis illis, qui religioſè ea loca Sancta viſitarent. Inſigne eſt Crux brachiata, cujus angulos ſingulæ Cruculæ obſident omnes minio tinctæ. Ex hoc Ordine inter alios fuerunt eximij Proceres Poloniæ, qui Sacrum Locum perſonali viſitatione honorârunt: *Nicolaus Dux Radziwił Palatinus Vilnenſis, & Chriſtophorus Sapieha Pocillator M. D. L. atq; Joannes Sołtan Theſaurarius M. D. L.*

S. Sepulchri Ordo, in Anglia inſtitutus ab Henrico ſecundo, Anno milleſimo centeſimo decimo quarto. Ante admiſſionem tenebantur Equites obire biennalem Novitiatum Hieroſolymis ad S. Sepulchrum. Hic Ordo unà cum Religione ibidem exolevit. *1114. in Anglia.*

Siliquarum Jenetæ Ordo, quem Galli vocant: *de la coſſe de Jeneſte.* Inſtitutus eſt à S. Ludovico Rege Galliæ: ſub Connubia ſua cum Margarita de Provincia, Anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo quarto. Inſigne Ordinis *1234. in Gallia.*

nis fuit ex auro eandem herbam repræsentans lilijs intermixtam, cum pendente Cruce ſimiliter lilijs terminata, atq; cum inſcriptione: *exaltat humiles*. Duravit hic Ordo ad tempora Caroli ſexti, non ampliùs.

Sinceritatis in Germania Ordo recognoſcit Fundatores Anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo, Joannem Georgium Saxoniæ, & Fridericum tertium Brandeburgiæ Electores, qui Torgaviæ convenerant pro ſopiendis quibuſdam differentijs. Quare ambo inſtituerunt dictum Ordinem, ad demonſtrandam ſinceram reconciliationem. Inſigne ipſius eſt numiſma aureum Cruce cærulea ſignatum, ex cuius una parte exprimuntur nomina prædictorum Principum cum lemma-

1690. in Saxonia.

te: *amicitia ſincera*; ex altera duæ manus ſeſe comprimentes poſitæ ſuper gladios & duos ramos palmarum, cum inſcriptione: *Uniti pro ſemper*. Ad hunc Ordinem admiſſus eſt Sereniſſimus AUGUSTUS *Secundus* Rex Poloniæ.

Solitudinis Ordo Fæmineus eſt, quem diſtribuere ſolebat Sereniſſima Chriſtina Everchardina, de Domo Brandeburgica, Bareyt, Auguſti Secundi Regis Poloniæ Conſors. Inſigne ſunt tria folia aurea, herbæ *ſolitariâ* dictæ, viridi encauſto tincta, & catenulæ aureæ appenſa. In medio conſpicitur litera P. quod ſignificat *Preytz* locum reſidentiæ ſuæ Majeſtatis. Obtinuit hoc Inſigne Illuſtriſſima Palatina Trocenſis Oginſcia. Verùm Ordo cum ſua Fundatrice, die quinta Septem-

1709. in Saxonia

bris, Anno millesimo septingentesimo vigesimo septimo è vivis sublata, sublatus est.

Spicæ Ordinem, instituit Franciscus Dux Britanniæ, Anno millesimmo quadringentesimo quinquagesimo. Torques Equitum constabat spicis, quas laquei amoris (ut nuncupari solent) colligabant, videbaturq; coronam quandam Cereris referre. Ex torque suspendebatur duab9 catenulis mus Ponticus seu Hermionicus colliculo viridi insistens cum symbolo: *Ad vitæ tempora.* Defecit Ordo hic extinctâ Britannicâ familiâ.

1450. in Britannia.

S. Spiritûs Ordo, in Sicilia institutus Anno millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo à Ludovico Siciliæ Rege; exolevit. Videatur Ordo Columbæ.

1352. in Sicilia.

S.

S. Spiritûs Montis Pessulani, Ordo Militaris Anno millesimo centesimo nonagesimo, fundatus à Gvidone Gvilhelmi Filio, Domino montis Pessulani. Habent ibidem Equites suum Domicilium. Tantæ erant famæ; ut Innocentius tertius Anno millesimo centesimo nonagesimo nono, eosdem evocaverit Romam, pro directione celeberrimi Hospitalis S. Spiritûs. Hæc duo loca (quibus prima Nobilitas inserviebat pietatis causâ) longo tempore disputabant supremum sibi deberi Magisterium Ordinis. Eam altercationem Pontifex hoc modo sopivit, ut utrumq; Contubernium eodem titulo gauderet. Plurimum labefactatus est Ordo hisce temporibus, cujus redintegrationi multæ Personæ qualificatæ incumbunt.

1190. in Italia.

S.

S. Spiritûs seu Tæniæ cæruleæ, glo-
1578. in Gallia. riosissimus Ordo in Gallia, nunc centum Equitib9 constans, ab Henrico tertio Poloniæ & Franciæ (cui is Ordinem S. Michäëlis reunivit) institutus Anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, Die 1ma Januarij. Supremum illi9 Magisterium adjunctum est Coronæ Galliarum. Admittuntur ad hunc Ordinem Viri Ecclesiastici, qui Commendatores vocantur, portantq; Insignia in Tænia cærulea à collo pendentia: Reliqui verò Equites gestabant eadem in simili fascia à brachio dextro sub sinistrum, stellam quoq; ad lævum latus per modum Crucis rubeæ radijs fulgentem, addita in medio Columba ex argento. Ad Tæniam verò circumferunt Crucem aure-

am albo encausto tinctam, cujus extremitates globuli terminant, angulos verò lilia exornant. Repræsentatur in medio figura volantis Columbæ, ex altera parte Crucis, extat Imago S.Michäëlis, pro memoria uniti Ordinis. Sub inaugurationem, & in celebrioribus festivitatibus Ordinis, gestantur hæc Insignia in torque aureo, qui componitur è lilijs aurejs, flammis, trophæis, ac literis quibusdam initialibus Regum Galliæ. Distribuitur pro beneplacito Regis prævia electione, præcipuè die Pentecostes. Fundamentum instituti Ordinis dicitur esse Patrocinium S. Spiritûs, Henrico tertio specialissimè exhibitum. Festo enim Divinissimi Paracleti natus est, eodem in Regem Poloniæ electus, ac de-

deinde Rex Galliæ coronatus. Ad hunc Ordinem adlecti quoq; fuerunt Principes atq; Proceres aliqui ex Polonis, veluti *Joannes tertius Rex*, cum Filijs Alexandro & Constantino, *Genitor modernæ Reginæ Galliarum*, nec non *Michaël Comes Tarlo* Palatinides-Smolenscensis, in Exercitu illius Regni Generalis.

Stellæ Ordo, Venetijs hucusq; durans.

Stellæ Ordo, hactenus in Sicilia celebris Messinæ institutus, & substitutus in locum Equitum lunæ crescentis, videatur sub Ordine lunæ & stellæ.

Stellæ Ordinem condidit Joannes-
1352. in Gallia. Rex Franciæ, Anno millesimo trecentesimo quinquagesimo secundo, in memoriam Stellæ Ducis Magorum, Di-

Dicebantur etiam Confratres BV. & Divi Audoemi, à loco qui illis assignatus erat non procul Parisijs. Symbolum fuit stella ex torque aureo suspensa, vel alibi affixa, cum Inscriptione: *Monstrant Regibus astra viam.* Verùm exorto S. Michaëlis Ordine, iste exolevit.

S. Stephani Equites, in Hungaria creantur, à quolibet Rege die Coronationis, post finitam Missam, in memoriam primi Christiani Regis Hungariæ, eo nomine appellati, Cælitumq; albo inscripti.

S. Stephani Papæ, Equites (cujus- 1561. in
anniversario die ad Martianum poti- Hetruria.
tus est memorabili victoria) instituit Anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo Cosmus Mediceus Magnus

gnus Hetruriæ Dux & illico Pij quarti Pontificis obtinuit confirmationem. Obligantur ad defenſionem Fidei Chriſtianæ, auxilium pauperum, & Redemptionem Captivorum. Crucis formam, Cum Melitenſibus habent communem rubro encauſto tinctam, atq; ad latus portandam. Eundem Ordinem obtinuit ex Polonis *Chryſoſtomus Zaluſki Capitaneus Lublinenſis*.

Stolæ vel Amphriſiæ, Equites in Arragonia, Italia, & Germania, uſum portandi ſtolas derivarunt, ab ipſis adhuc Romanis. Hoc certùm, quòd Alphonſus quintus plures hoc inſigni honoraverit Equites, Anno milleſimo quadringenteſimo decimo ſexto; eodem Sigiſmundus Imperator multos inauguravit in Italia. Coætaneus eſſe di-

1416. in Arragonia. Italia. Germania.

dicitur Ordo, inſtitutioni Draconis & Bandæ. Invenitur quoq; apud Authores ſub nomine Societatis Amphriſiæ. Jam hic deletus eſt, ſolo nomine remanente.

Tabulæ Rotundæ, Ordo circa Annum milleſimum ducenteſimum dicitur extitiſſe in Anglia, adſcribiturq; Arto an potiùs Arturo Regi Angliæ, alij verò referunt eundem Ordinem ad Annum quingenteſimum decimum ſextum; portabant Equites ſuper ſcuta Aquilam volantem. *Cambdenus* multò recentiorem eum facit, ac Torneamentis, ſeu ludis militaribus Originem ipſius attribuit. Non extat ampliùs.

516. in Anglia.

Templariorum Ordo Anno milleſimo centeſimo decimo octavo, inſtitutus, ideò ſic dictus, quòd Equites

1118. in Oriente, ac in Europa.

prope Templum Hierosolymis à Rege locati fuerint: Origo ipsius adscribitur Baldvino: Objectum verò erat præbere securitatem, peregrinantibus ad Loca Sancta. Sed per Concilum generale Viennense tandem hic Ordo ob suspicionem hæreseos & gravissima vitia suppressus est. Anno millesimo trecentesimo undecimo.

Teutonicus Ordo sub nomine Cru-
1184. in Germania. cigerorum in Polonia cognitus, initia sua debet quibusdam opulentis Civibus Bremensibus, & Lubecensibus, qui visitando Loca Sancta in Palæstina eundem ibidem fundaverunt. Anno millesimo centesimo octogesimo quarto, approbatus deinde fuit per Pontificem Cælestinum tertium, Fridericus verò secundus Imperator redux in Ger-

Germaniam ex Palæstina, plures eorum Equitum adduxit, vocabanturq; Sanctæ MARIÆ Equites. Cùm autem è Syria ejecti fuissent, in varias partes commigrarunt. Conradus Dux Masoviæ circa Annum millesimum ducentesimum vigesimum octavum, contra Prussos Idololatras eosdem evocavit, ex instinctu Christiani Episcopi. Ingentia bella gesserunt cum Polonis, quo adusq; ultimus Magister de Domo Brandeburgica, Sigismundi primi Regis Poloniæ cognatus, mutata Religione, Prussiam Regno subjecit, retinendo sibi partem, hactenus in ea Familia hærentem certis conditionibus; scilicet post extinctam Lineam ad corpus Poloniæ redituram. Super eandem exdivisam portionem, Dux Pruss-

Prussiæ à præfato Rege creatus est, dictus Magister. Habent in Germania plura domicilia, atq; supremum Magisterium,quo titulo non ita pridem gaudebat Franciscus Ludovicus Comes Palatinus Rheni, modernus Archiepiscopus & Elector Moguntinus. Dux Prussiæ eundem sibi titulum vendicat, ac Insignia distribuit: sed prorsùs indebitè; cùm hic Ordo mutaverit formam in Prussia; tessera ipsius est Crux nigra, quam ab aliquibus video pingi Potentiatam seu brachiatam. Nigræ Cruci, alia itidem brachiata, sive in gradus terminata: (nonnulli tamen floridam pingunt) imponitur. Addit *Paillot* supremum Crucis marginem lilijs ornari Francicis ex dono (prout ipse vult) Ludovici noni Regis Galli-

liarum. Porrò Crux hæc nonnisi simplex est nigra in area argentea, sustinens in medio parmulam auream, Aquila nigrâ, nempe Emblemate Prussiæ signatam, quemadmodum pingitur in Insignibus Magistrorum Ordinis.

S. Thomæ Equites, Instituti Anconæ à pijs Personis ad sublevandam pauperum inopiam, Anno millesimo ducentesimo trigesimo sexto, approbati ab Alexandro quarto. Hos demùm Alphonsus decimus Astrologus Anno millesimo ducentesimo octogesimo quarto, evocavit in Castiliam. Conjuncti deinde fuerunt cum Melitensibus. Tandem ea conjunctione non contenti, Ordinem suum ex parte restabiliverunt. At non diu duraverunt. 1236. in Italia.

1190. in Ptolomaide. *S. Thomæ Equitum*, Ordo (à S. Thoma Cantuarienſi: Præſule ac Patrono ita dictorum) à Richardo Rege Angliæ, in Urbe Ptolomaide pro Anglis inſtitutus circa Annum milleſimum centeſimum nonageſimum. Jam interijt.

1579. in Polonia. *S. Thomæ Societas*, excogitata in Polonia ſub Stephano Bathoreo, à Nuntijs Terrarum Hæreticis ad Comitia Regni electis. Portabant illi è collo penſilia Numiſmata aurea D. Thomæ Imagine inſignita. Eodem fere tempore ab Ordinibus Regni Catholicis repreſſa evanuit, oppoſitâ & introductâ, tunc in Poloniam Confraternitate D. Annæ, Teſte Demetrio Sulikowſki in Commentarijs, folio 130.

Torquati Equites, vocantur illi, quos

quos Principes torquibus donant cum ſua effigie, uti Artium Liberalium inventores, Nobiles in haſtiludijs & exercitijs militaribus in præmium exhibitæ dexteritatis, Viros Illuſtres, Hiſtoriographos, Doctores, necnon Legatos Principum, aliasq; emeritas Perſonas. Plurimi coloratos Principum vultus geſtant in pectore utinam omnes in corde reponant.

Truxellenſes Equites, ſub Alphonſo S. Ferdinandi Fratre floruerunt in Hiſpania. Alphonſus nonus Anno milleſimo centeſimo nonageſimo quinto, multis eos cumulavit beneficijs: deinde ſunt incorporati Alcantarenſibus. Supponitur quòd ijdem Originem ſuam derivarunt, ab Equitibus Montis gaudij expulſis è *Syria*; 1195. in Hiſpania.

nam eadem Insignia gestabant: videlicet stellam argenteam quinque radiorum, pallio rubro affixam. *Extincti.*

Tussini Equites, in Bohemia & in
1562. in Austria, et Bohemia. Austria sub Regula S. Basilij instituti, contra Turcas Hungariam infestantes. Obtinuêre hunc Ordinem Ferdinandus & Carolus Archiduces, tum 200. Equites Anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo. Insigne erat Crux viridis super pallium rubrum. *Extincti.*

S. Vasculi Beatæ Virginis de Lilijs
1410. in Hispania. Ordinem, captâ Antiquerâ in memoriam Victoriæ de Mauris reportatæ Anno millesimo quadringentesimo decimo, Ferdinandus Infans Castiliæ dicitur instituisse. Torques duplex connectebat Gryphos vascula Lilijs ple-

plena tenentes, translatus hic Ordo ex Castilia in Arragoniam succedente in utrumq; Regnum Ferdinando; *disparuit.*

S. Venceslai, in Bohemia dicitur fuisse Ordo; quo inaugurabantur Equites sub coronationem Regum. Sed postquam hoc Regnum transijt in Hæreditatem Austriacam, non ampliùs practicatur.

SS. Ursi & Galli, Ordinem attribuunt Authores Friderico secundo, 1212 in Helvetia.
Anno millesimo ducentesimo duodecimo, qui eum in D. Galli Basilica fundaverat in honorem S. Ursi ex Legione Thebea, *Soloduri* Martyrio coronati. Baltheus id est Torques aureus erat, ex quo dependebat figura Ursi nigri, viridi solo insistentis. Cùm

præcipuos Proceres Regionis, Cæſareo ornâſſet Ordine, deinceps poteſtas conferendi eundem, Abbati collata eſt. Solennitas annua die S. Galli celebrari ſolebat. Additum deinde ſertum aliud folijs quercinis conſtans, quo prior torques circumdabatur. Deſijt tandem Ordo.

Weyſenſeldicus Ordo, quem Duces Saxoniæ ejuſdem nominis diſtribuere ſolent: Eſt Crux encauſto rubro tranſparente elaborata. Quatuor Aquilis aureis per angulos ornata. In medio Crucis conſpiciuntur literæ Nominis Ducalis.

Wirtembergicus Ordo à Ducibus hujus familiæ diſtribui ſolet, cujus Inſigne eſt Crux alba ex auro, habens literam in medio W. appenditur collo in

in tænia rubra. Hoc donatus eſt Frater Principis Regiæ Conſtantinæ *Veſſelius*, alij dicunt eundem nominari Ordinem *Confidentiæ*.

Inveniuntur plurimi alij minoris notæ Ordines, & Societates, præſertim in Italia, & in Germania, ubi diſtribuuntur Anchoræ, Cruces, Numiſmata & his ſimilia à varijs Principibus. Sed quia mihi parum innotuerunt, à deſcriptione illorum, manum atq; calamum amoveo; ne verò de præcedentia ſupradictorum Ordinum fiat quæſtio, ad evitandam quamlibet cenſuram, placuit eos ſummatim recenſere ſerie Alphabetica. Sufficiat itaq; ſuccincta deſcriptio pro meliore curioſi Lectoris informatione, quatenus videat nullam eſſe Gentem bene Civiliſatam,

tam, nullum Regnum, nullamq; Rempublicam liberam, ubi Militares ſeu Heroici Ordines, eorumq; diſtinctivæ notæ, tanquam ſtimuli ad præclara geſta, & eximia rectefactorum præmia non inveniantur, & præcipuam non conſequantur ubivis locorum æſtimationem. Utiq; ampliorem poterit habere præmiſſorum notitiam ex Authoribus, qui hanc materiam fuſiùs & ornatiùs ex profeſſo tractârunt.

De

PILEO, ENSE, & ROSA,

Per Summos Pontifices benedictis.
Tum de Coronis *aureis à Capitulo Vaticano miraculoſis Imaginibus conferri ſolitis.*

POntificum Romanorum ea ſemper fuit Ratio, ut Reges, Principes, Proceresque Chriſtianos *docentis manus ad prælium & digitos ad bellum Domini bella bellantes*, vel certè pro Fide Orthodoxa, ac Eccleſia CHRISTI decertaturos, impertitâ benedictione, vehementiùs animarent, *& ad Caſtra Domini Exercituum* in hoc ſigno victuros propulſarent. Cùm verò ſenſus internos, per ſigna exteriora deprome-

Illuſtris. Joſephus. Załuski Refer. Regni in Analectis.

re

re vellent, ſolenne ipſis fuit quotannis, *Gladium utrâque parte acutum* ſuperpoſito Ducali pileo, ritu Sacro benedicendi, eaq; munera prout *gladium ſpiritûs, & galeam ſalutis* è Principibus magni Nominis uni benè de Eccleſia merito, vel adhuc benemerenti, per ſuos Ablegatos tranſmittendi, vel certè (cujus exemplum unicum quòd ſciam, aut ferè rarum, ſimulq; domeſticum in Vladiſlao IV. tunc Principe Regio, Poloniæ demùm Rege) in manus prævijs ſolitis precibus, & obſecrationibus, tradendi. Quo ad tempus ejuſmodi Conſecrationi prædefinitum illud fuiſſe in Vigilia Nativitatis Dominicæ (24 Decembris) abunde colligitur, ex vetuſto quodam libro cæremoniarum à *Beyerling* citato, ubi hæc reperiri aſſerit verba. *Pontifex Romanus in Vigilia Nativitatis Domini Enſem conſecrat cum galero Principali, eumquè Principi alicui Chriſtiano contra Religionis hoſtes pugnanti vel pugnaturo, quaſi victoriæ ſymbolum & incitamentum, muneris locò mittit*. Obtinuerunt hunc honorem à Sancta Sede ex Regibus & Principibus Poloniæ. Sigiſmundus I. Sigiſmundus Auguſtus. Stephanus Bathore9. Vladiſla9 IV. Michäël I. Joannes III. Reges: nec non Frideric9 Auguſtus Regius Poloniæ & Electoralis Saxoniæ Princeps. Roſis verò benedictis donatæ fuerant Anna Stephani, Conſtantia Sigiſmundi III. Eleonora Michäëlis I. Maria Caſimira Joannis III. thori & throni Conſortes; nec non Eliſabetha Duciſſa Radzivillia Leonis Sapieha Palatini Vilnenſis, Supremi Exercituum M. D. L. Ducis Conjux, pro vin-

vindicata suo potissimùm zelo cæde B. Josaphat Archi-Episcopi Polocensis Martyris. Aliquando ijsdem rosis solent Summi Pontifices munerari miraculosas DEIParæ Imagines, quas etiam Capitulum Vaticanum ex fundatione Alexandri Sforcia Cardinalis, aureis diadematibus redimire consvevit, utpotè *in Polonia* Claromontanam seu Częstochoviensem, Sokaliensem, Podkamenensem, *in Lithvania* Trocensem, Codnensem, Zyrovicensem thaumaturgas Beatissimæ Icones, coronavit. &c.

Usus Coronandarum Imaginum B. V. M.

Ad Zoilum.

Donec totum legeris, sustine tantisper calculum; post libet,
Nigrum, albumve dederis? Ego feci quod potui.

INDEX
Ordinum Militarium.

A.

de

Con-

S.

JE-

L.

M.

M.

N.

O.

P.

ERRATA CORRIGENDA

In Dedicatione

Hiſpaniæ l. HISPANIA.

In Diſcurſu Prælimi-nari.

Quibus l. Quiſquis
Hunc l. Hinc.
Ibidẽ creſcebat *adde* identidem.
Ibidem fuerit multitudo *adde* Equitum.
Ibidem Monozonij l. item Monozonij.
ibidem in vertinis *Lege* Verrinis. Nuncupantur *Lege* nuncupabantur. ut ſatis *Lege* ut ſitis præcincti. huic *Lege* huc S. Gregorij *Lege* Georgij. Hunc *adde* Electum armigerum. prætea *Lege* præter ea. Dux Caſtiliæ *Lege* Rex Caſtiliæ. Cingulos *Lege* cingulus. Pingendas *Lege* depingendas. donavit *Lege* ei donavit. devovent *Lege* devovens. habentq; *Lege* habensque. Adoloinda *Lege* Adolſinda. Donſilo *Lege* Don Silo. Marchionum *Lege* Marchionatuum.
Jagellonide *Lege* Jagiellone.
intulerunt *Lege* intulerant

Errata in ipſo Opere.

fol: 4. Comitem *Lege* fomitem
f: 8. claudebat *Lege* claudebant.
f: 9. virtutes *Lege* virtutis.
f: 9. oppoſita *Lege* appoſita.
f: 11. Eidem *Lege* Eiſdem.
Et vario lapidũ diſtinctas igne coronas Dividis ex æquo &c:
f: 14. vetutiſſimis *Lege* vetuſtiſſimis
f: 16. Avillai *Lege* Avillia.
f: 17. Torquem auream *Lege* Aureum.
f: 19. di collona *Lege* di collana.
f: 20. Equitum *Lege* Equeſtrium.
f: 29. Cordon cleu *Lege* Cordon Bleu.
f: 30. Supra enumeratæ *adde* diverſarum gentium.
f: 50. indaginibus *Lege* imaginibus.
f: 57. civitatis *Lege* Civilitatis.
f: 58. Lango *Lege* Longo.
f: 59. cædere *Lege* cedere.
f: 66. erudito *Lege* erudita.

V3.

f: 83. instituti *Lege* institutis.
f. 93. Ducatum *Lege* Ducem.
f. 97. accessit *Lege* accepit.
f: 104. Patriæ Ordinis *Lege* Patrij Ordinis.
f: 104. Nepoti *Lege* Nepote.
f: 111. viro *Lege* vim.
f: 122. Ditionuũ *Lege* Ditionũ.
f: 123. Vedro *Lege* Vexillifer Drogiciensis.
f: 144. Legati *Lege* Legali.
f: 153. dũmodo statuta *adde* ipsa
f: 155. tenore *Lege* tenores.
f: 158. invidi *Lege* invidia.
f: 163 fymbrijs *Lege* fimbrijs.
f: 166. peculiari *L.* de peculiari
f: 168. cum *adde* is.
f: 172 Sanitatis *Lege* Sanitati.
f. 190. institutor *L.* Reinstitutor
f: 220. cruciatur *Lege* cruciat.
f: 223. Famesius *Lege* Gomesius
f. 228. titulo *adde* sub titulo.
ibidem dependente *adde* inde.
f: 232. Anno 1182 *Lege* 1382.
f: 236. huju *Lege* hujus.
ibidem feceris *Lege* ferreis.
f. 250. Ninirot *Lege* Nimrod.
f: 252. Anno 440. *Lege* 499.
ibidem 720. *Lege* 722.
f: 253. Navarriæ *Lege* Navarræ
f: 264. concordat *L.* concordant.
f: 268. Anno 1229. *Lege* 1219.
f: 272. stabuli M.D.L *adde* fuerant
f: 274. Sustettans *L.* Sustentans.
f: 279. deputat *Lege* disputat.
f: 284. Vittemberg: *Lege* Virtembergensis.
f: 286. Anno 1200. *Lege* 1290.
f: 289. Anno 1200 *Lege* 1210.
f: 293. Anno 1528. *Lege* 1578.
f: 295. Maurittano. *L.* Mauritiano.
f: 295. fundatus Ordo *Lege* Ordo fundatus.
f. 298. ut duratios *Lege* & Durations. *ibidem* illus *Lege* illius.
f: 300 Lata *Lege* in Lata.
f: 301. tunc *Lege* nunc.
f: 303. â tellure *Lege* ê tellure.
f: 305. numearus erum *Lege* numerus earum.
f: 310. â Navæ *Lege* â Nave.
f: 312. fuêre *Lege* fuerat.
f: 325. Jenetæ *Lege* Genistæ.
f: 330. gestabant *Lege* gestant
f: 330. Franciæ *adde* Rege.

In Indice Agnus Dei *L.* Agni Dei Mariæ Magdal: *adde* f: 305. Tussini f: 341. *L.* 342. Thomæ Societatis *Lege* Societas.

7

Z

Gedrukt
Polen
p. 359